

145

ADY L. W.

00




~~A 7~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

IC 87.

SIGNAT. 1515CCCXIII.







SUFFICIT



IOH: VALENTINVS
ANDREAÆ

JOHAN. VALENT. ANDREÆ
S. S. Th. D.

THEOPHILUS,
Sive
CONSILIUM

De *CHRISTIANA RELIGIONE* sanctius
colenda, p. 1.

= *VITA* temperantius instituenda, p. 41.

& *LITERATURA* rationabilius docenda,
p. 80.

Cum *PARÆNESI* ad Ecclesiæ Ministros,
p. 127.

= *PLANCTU JEREMIÆ* renova-
to, p. 166.

= *VIRO BONO* ad Lydium lapidem
examinato, p. 186.

& *MEDIO CHRISTIANI*, p. 201.

Opusculum nostro tempori valde
accommodatum,

*Accesit nova præfatio, institutum
uberius exponens.*

L I P S I Æ
apud THEOPHILUM GEORGI,
M DCC VI.

JOHAN. VALENT. ANDREA

THEOPHILUS

CONSILIUM

DE CHRISTIANIS REBUS

& PATRIARCA

CONSTITUTIONIBUS

ET

ALII

OPUSCULUM

DE

THEOPHILUS

M. DC. CC. XL.



V I R O

*Præ-Nobilissimo, Amplissimo,
Excellentissimo atque Consul-
tissimo*

D O M I N O


JOH. FRANCISCO
BORNIO,

Jcto Celeberrimo,

Supremi Dicasterii, Consisto-
rii, Scabinatus Lipsiensis, &
Judicii provincialis inferioris Lusatiae
Assessori gravissimo, Canonico Mar-
tisburgensi spectatissimo, nec non
Reip. Lipsiensis Senatori pru-
dentissimo,

P A T R O N O M E O

submisſe colendo.




V I R
CONSULTISSIME,

DOMINO



Fontanaliorem apud Romanos olim nomen celebre admodum fuit in quibus flores fontibus injicere & puteos coronare, gratumque hac ratione animum pro tam exprompta aquarum liberalitate declarare consueverunt. Horum non abs re forsitan nunc recordari subit, dum in conspectum TUUM, venerationis plenissimum, prodire audeo. Etenim TE quoque fontem irriguum non tam nomine, quam reapse exprimere tot loquuntur documenta in illustri collocata, quot recensendis vix dies suffecerit. Me certe meosque mirifica illa humanitas



nitias, quâ præstas, ac juvandi studium
nulli bono non expositum, ita inunda-
vit veluti, ut æternum pro eo me TI-
BI obstrictum fateri necesse sit. Cum-
que pietatem istam premere diutius
intra pectus, eidemque tacite litare
haud sustinuerim, en TIBI corollas ex
variis nec illepidis floribus contextas!
THEOPHILUM innuo, quem egregia
plurima ac nostro etiam seculo non
mediocriter profutura complexum,
meisque impensis recusum NOMINI
TUO Celeberrimo sacrum esse volo,
idque eo confidentius, quo magis per-
spectum habeo, Religionem, Discipli-
nam & Literaturam ante omnia cu-
ra TIBI esse cordique. Vale, PATRO-
NE OPTIME ac porro non indignum
judica, cui faveas

Clientem devinctissimum

Theophilum Georgi.



PRÆFATIO NOVA.


Lectori benevole

S.

QUod iis usitatum est, qui medendi
artem profitentur, morborum in-
genium ac indolem primo loco
cum cura investigare atque de ad-
hibendis postea remediis solerter
inire consilium, id apprimè ad eorum quoque
institutura quadrat, quorum opera in corri-
gendis hominum animis, iisque ad solidæ vir-
tutis regulam formandis & componendis
versatur. Enimverò quot in his recessibus
monstra latent? quot errorum & incommo-
dorum genera ibi foventur, nunc radici suæ
malè inclusa, nunc foras cum præsentissimo
damno prærumpentia? Morborum citius, qui
corpus nostrum causarium & fluxum quoti-
die


die invadunt, novi antehac & inauditi, numerum deprehenderis, quam quibus nobilior illa pars affligitur miserè pessimèque habetur. Quemcunque autem accuratior horum notitia fugerit, næ is perdet in emendando operam, nihilque, utut multa moverit, promovebit. Protei enim instar obtinent, quæ in nobis vitia stabulantur, & sub virtutis larva plurimis, qui oculati etiam sibi videntur, imponunt. Succenturiatur eis favor, quo nos ipsi nostraque complectimur, plerumque immodiens, aperta flagitia tegens, subdabia excusans. Is demum igitur debellandis his par erit censendus, qui Divino suffultus auxilio in ipsam mali originem inquirat, sceditatem explicat, ulcusque non levi & suspensa, sed pressa manu tangit & dolorem hac ratione excitat, simulque medelæ desiderium. Ex quo sua sponte consequitur, ingentis beneficii loco merito habendum, si quando cœleste Numen rebus humanis viros inmittit, qui posthabitis omnibus molestiis singulos eò perducere laborant, ut secum habitent & malitiæ altè insidentis fraude perspectâ, medicinam ferio meditentur. Qua laude, solida omnino nec ex tenui petita, jure suo mactan-

duſ JOHANNES VALENTINUS ANDRÆ, ſacra-
rum literarum Doctor, Duci Wurtembergi-
co à Concionibus aulicis, nec non eidem at-
que Duci Brunſvicenſi à Conſiliis ſacris, &c.
circa medium ſeculi ſuperioris beatè denatus.
Pluribus enim, quos ad poſteritatem trans-
miſit, libris id ſermè egit unicè, ut, quæ publi-
cè graſſantur ac indies latius ſerpunt vitia ape-
raret, aperta perſtringeret, perſtrictaque omni-
bus inviſa & exoſa redderet. Qua in re non ni-
gro aut inſiceto ſale, quod in multis reperias,
utitur, ſed candidum animum prodit & ze-
lum non minus, quam prudentiam, Chriſti
miniſtro digniſſimam, nullibi non ſpirat.
Sanè leonem ex ungue, quod ajunt, æſtima-
bit, qui præſentem libellum, Theophili no-
mine ab ipſo inſignitum, diligentiore oculo
inſpexerit ac probè ſecum perpenderit, quæ
memorata in eo inveniuntur. Expreſſam e-
nim velut imaginem videbit fabulæ, quæ no-
ſtro quoque ſeculo, mutatis ſaltem perſonis,
luditur, ita tamen expreſſam, ut quivis, à præ-
judiciis immunis, quid amplectendum ſibi,
quidve fugiendum in his turbis, facili nego-
tio colligere queat. Neque enim ſolum quo
pacto à vera pietate deſciturum & ad vitia Chri-
ſtia-




fiano nomine prorsus indigna transcursum
sit, sollicitè commonstrat; verum viam quo-
que non unam tentat, qua restituti possint
res lapsæ & ad præscriptum curriculum re-
vocari. Hinc religionis nostræ Palladium
studiosius custodiendum nec vita profana
conspurcandum monet, disciplinæ severio-
ris utilitatem inculcat & literarum liberalius
tradendarum rationem rimetur, additis sem-
per monitis, à scopo vix unquam alienis. E-
quidem non ignoro, Andream nostrum apud
nonnullos in suspicionem adductum alieni-
oris in aliquibus à doctrina Lutherana animi,
quo de ipse sæpius in libris suis conquestus
est. At liberatum planè intentata culpa de-
prehendet, qui confessioni ejus, hoc scripto
editæ, fidem non temerè detraxerit, in quo
consensum suum in palmariis fidei capitibus
cum optimis quibusque manifestè satis testa-
tur. Quod & alio loco egit, ubi mentem su-
am ita declarat: Augustanæ Confessioni in
Concordiæ formula repetitæ addictissimus
sum, cum ea omnia mea consentire volo &
dissentientia reprobō. V. Mythol. Christ. præ-
fat. Taceo alia momenta quam plurima,
quæ religionis unicè veræ studiosissimum

eum fuisse nec latum ab ea unguem recessisse
 evincunt. Ut adeo inquirenti causam fini-
 stræ illius insimulationis hæc potissimum oc-
 currat, quod querelas de rebus Ecclesiæ la-
 psis sæpissimè iteraverit, quibus tamen non
 doctrinam, sed modum proponendi doctri-
 nam & vitam inprimis à doctrina penitus di-
 screpantem insectatus est, ceu id cuilibet scri-
 pta ejus versanti ad oculum patet. Accedit
 fortasse & hoc, quod ipse pacis ac tranquilli-
 tatis cupidus, rerumque suarum satagens quo-
 rundam de rebus sacris concertationibus
 magna contentione excitatis & majore,
 quam Christi sectatores decet, acerbitate
 & perrinacia continuatis immisceri noluit,
 commodiore ratione Ecclesiæ utilitatem
 provectorus. Quin enim plures hoc ipso
 offenderit, de eo dubitare nos haud finit
 humanæ mentis perversitas, quæ minus
 sibi applaudentes odio habet & sibilo in-
 sectatur. Interim quantum ipse abhor-
 reat ab illorum opinione, quibus nefas est
 adversarios obelo configere & falsis dog-
 matibus obviam ire, id vel inde apparet,
 quod cordatè admodum in præsentis opu-
 sculo, ut & alibi, à vero declinantes incre-




pet & gravissimè contra eosdem pronun-
ciet. Consideret modo L. B. qualem sen-
tentiam de Weigelio in primo Dialogo
ferat, ut de Pontificiis, Calvinianis, Schwenk-
feldianis & Internis (quorum postremo-
rum characterem à multis hodie non-
abludentem vivis coloribus exprimit) nihil
dicam. Pestem cum appellat & quo no-
centiorem vix ulla ætas habuerit, mira-
turque ulli cordato posse hujus capitis pla-
cere & confusionem & temeritatem, & in-
temperiem, quæ summa imis commisceat &
sine scriptura concludat & optimis quibus-
quo oblatret & stoliditatem identidem
prodat &c. Quæ verba cur famosus ille
historiæ hæreticæ Conditor G. Arnoldus
in narratione de Weigelii vita doctrina
adducere omiserit, mirari forsân subeat,
maxime cum Andreae judicio plurimum
alias tribuat & eodem in Weigelii laude
amplificanda utatur. Ita enim L. c. P. II.
L. 17. C. 17. §. 4. scribit: *Ja unter de-
nen (Lutherischen) Theologis selber
hat einer Weigelium unter die Hän-
ner mit gerechnet / welche von uns
gemeiner Belehramtheit oder Wiss-*



senschaſt gewesen / ubi Andream citat
in Mythol. Christ. Manip. III. num. 23.
p. 137. Sed cessabit admiratio, si tenea-
mus, Arnoldum id sibi credere solum ne-
gotii datum, hæreticos ut excusarent, quæ
proferret testimonia. Talia enim qua-
cunque ratione, quibusvis ex lacunis cor-
radit, ut habeat, in quo vanè triumphet
& rectè sentientes laceſſat. Et ne id
frustra dixisse videar locus ex Mythologia
supra allegatus curatius paulo est inspicien-
dus. Fingit ibi Andream, Azoth illum orbis
monarcham aureo curru eoque radian-
te ingressum haud paucos insolitæ eruditionis
homines secum attulisse, Paulum Scali-
chium. Jac. Brocardum, Paulum Lauten-
faccum, Julium Sperberum, Valentinum
Weigelium &c. Iis, inquit, datum ajunt
res nostras omnes medicare, auritos nos,
oculatos, vocales, volatilesque reddere.
Est tamen aliquid, sic pergit, quod felici-
tatem nostram impediat, quoniam non
illi nos, non nos illos intelligimus.
Nam quæ illorum est Persica, Chaldaica,
Brachmannica, Druidia, Fessana, Damcari-
ca lingua, quæ picturæ sunt divinationes,

tri-

triplicitates & paradoxa, ea haud prius vitam nobis reformabunt, quam artis terminos capiamus. Ridet ergo Andreae, quod sole clarius est, hominum istorum ineptias, ne dicam insaniam, qui monstris vocabulis & otiosis cerebelli sui commentis nimium quantum indulgentes, in transversum acti sunt & tamen nihilo secius thesaurorum omnium possessionem & totius orbis emendationem nequicquam jactare sustinuerunt. In his Weigelius jure suo reponitur, id quod laudi ipsi dicit Arnoldus, mentemque Auctoris sic plane invertit, quæ manifestius ex supra adductis cognoscitur. Quid? quod idem alio loco nullus veretur, B. Andream pro statore Fraternitatis rosæ crucis (quam figmentum esse scribit merum ad deludendos inprimis Theologos conflatum) venditare, in quem finem plurima loca ex ipsius scriptis adducit. Responsum autem Arnoldus in præsentia non aliud ferat, quam quod ipse Andreae ad quæstionem: Num interfuerit choro isti? recessit. Si inquiris, frustraris, si divinas falleris, si suspicaris, desipis, si objicis, obtrectas, si ex-



probras, depradaris, si praescribis, jugulas,
mihi liberior & magis sana mens est, si
nescis. In hoc effato viri ingenui nec
quicquam simulationi tribuentis acquiescet
Arnoldus, ut spero. Plura de isto argu-
mento monere hujus loci ratio haud per-
mittit. Alii ergo tempori, si Deo placue-
rit, ea reservamus, ut & quae de Vita
Andreae copiosius persequi potuissemus.
Non subsistet autem hic Bibliopola inte-
gerrimi & de Republica literaria bene me-
rendi cupidi studium, sed praeter Theo-
philum & Christianum, alia quoque B.
Andreae monumenta, frustra hactenus re-
quisita, in lucem emittet, cui insti-
tuto ut Deus adsit ac B.

L. faveat, con-
tendo.

DEDI

DEDICATIO VETUS

B. AUTORIS

ad

SERENISSIMUM ET POTENTISSIMUM

PRINCIPEM AC DOMINUM


DOMINUM

AUGUSTUM

BRUNOVICENS.


ET LUNÆBURGENS.

DUCEM.



SERENISSIME
AUGUSTE,

Audet in Augustissimum con-
spectum Tuum prodire Theo-
philus meus, non ulla alia,
quam suae conscientiae &
Tuae integritatis confidentia, lucem
à Tuo splendore, libertatem à Tuo
consensu, & ab autoritate Tua tu-
tamen impetraturus. Nam cum solii
Tui, cui feliciter insides, basin Pie-
ta-



tatem seriam feceris, eique summa
Eruditione superstructa, coronidem,
Morum concinnitatem imposueris,
ad haec tria Tibi familiaria numina
Theophilus provocat. Cætera, quæ
desiderari in ipso possint, æquanimita-
ti Tuæ incredibili submittit. Pro-
bavit is quidem jam olim se gravissi-
mo Consistorio Wirtembergico, ac
repetitum ejus succedanei suffragium
tulit, sed ut seculum hoc scrupulosum
& delicatum est, fieri possit, ut in-
morosiores forte, aut curiosiores,
aut meticulosiores, aut denique
lividiores censores incidat, quam
velit, aut sit opus, quapropter ad Te
Principem Theophilum se Theo-
philus confert, ut si in Tuum confessum
admittas, inferiora subsellia ipsum
non dedignentur, dicendi libertatem
concedas, silentium ei nemo facile
imponat, & sceptrum clementiæ por-
rigas, virgulas censorias vereri, mi-
nus

nus habeat necesse. Triste sane,
 res nostras pluribus vitiis laborare,
 tristius pauciores ea sive agnoscere,
 sive fateri, consuetudine malorum
 abreptos, sed longe tristissimum, not-
 le eos, qui de his conquerantur, fer-
 re, & suam injuriam, per recordiam
 interpretari, cum humani generis
 vitium sit, ut ad malefaciendum,
 quam ad ea, que male sunt facta,
 audiendum simus proniores. At cum
 hanc sibi legem Theophilus indixerit,
 ne quid falsi dicere audeat, deinde
 ne quid veri non audeat, Te iudice,
 qui libertatem & principatum, de-
 votionem & majestatem, literas &
 arma, præcepta denique cum exem-
 plis admiranda societate miscuisti,
 stare se posse, minime dubitavit, aut
 si cadat, ob incorruptam sententiam
 Tuam, ne id quidem inglorium sibi
 esse putabit. Patere ergo Magnani-
 me Princeps, Theophilum, quo mi-
 nus

*nus Tibi obstrependo sit oneri, cum
 Generosissimis Filiis Tuis & Claris-
 simis ex familia Tua Viris, senten-
 tias conferre, & de remediis malo-
 rum Rem Christianam, literariam &
 publicam infestantium, citra cujus-
 quam obtrectationem differere, quæ et-
 si obsoleta videbuntur, nec seculi hu-
 jus genium sapientia, hoc tamen to-
 lerabilia erunt, quod nihil præscri-
 bant imperiose, sed benevole mone-
 ant; nihil statuunt definitive, sed ami-
 ce optent; nihilque doceant ipsa, sed
 discere enixissime contendant. Ex
 his cognosces, quid sibi velit, aut no-
 lit, & pro Sapientia, qua polles, in-
 credibili, vel innoxium absolves, vel
 errantem in viam reduci curabis.
 Sane non displicuisse Tibi, instar
 omnium mihi erit, cum à Te dissen-
 tire boni & cordati non possint, mol-
 les & tepidi, vix ausint, maligni &
 vacordes, si velint etiam, nihil nisi
 tur-*



turpitudinem suam sint prodituri. Egreditur vero jam Theophilus ex Patria sua, tot annorum exul, ut appareat ingenuæ virtuti & libertati domi, apud laudatissimum Principem Herum suum, locum & sedem quasi propriam superesse. Vale, Auguste Principum, & Te ipsum, quod comparari cum aliis non possis, supera.

Serenis. Celsit. Tuæ

Natali Augusto LXXI. IV.

Eid. Apr. A. C. 1649.

à Sacris Consiliis devotissimus minister

Joh. Valent. Andreæ D.


Aulæ Wirtemb. Ecclesiastes.

THEOPHILUS
PEREGRE DOMI,
DOMI EXUL,
RELIGIONEM
RELEGATAM,
LEGES
EXLEGES,
LITERARUMQUE
LITURAS
expertus,

QUOD

QUOD
Ex usu rei Christianæ
RELIGIONEM
RELIGATAM
LEGES
LIGATAS,
LITERASQUE
LIBERALIORES
mallet,
Hoc quicquid est desiderii sui
CALUMNIÆ COLUMNAM,
INVIDIÆ VISORIUM
adversum
PROBIS PROBANDUM
ad
PACIS OPTATÆ
AURORAM,
sub
AURA AUGUSTA,
NIL NISI VOX
exposuit.

DIA-



DIALOGISMUS I

De


RELIGIONE
CHRISTIANA,

ILLVSTR. PRINC. D.

RUDOLPHO
AUGUSTO

D.B. & L. facer.

THEOPHILUS, DEMOCIDES,
GEORGIUS, EUSEBIUS.

EUS meus, o Deus meus,
in quæ nos reservasti tempora! Riget coelum, ariet terra, arietat hostis, rodit usura, siccatur fames, metit lues, tabet civis, torpet colonus, nec magis calet Religio, quæ rebus angustiis explicare se quondam maximè solita erat; Non minus sævit invidia, cui
A olim

olim in miseros nulla erat libido; Non mitius vellicat calumnia, quam inter tot funera obmutescere erat conveniens. Verè nisi Jehova nobis adesset, nisi adesset nobis Jehova, cum in nos confurgunt homines, vivos nos devorarent, cum in nos ardentirâ, aquæ nos inundarent, obruerent torrentes, impotentes nos obruerent aquæ. Tibi ergò JEHOVA, gratias agimus, qui non pateris nos prædam esse dentibus illorum. D. Quæ lamenta audio? quas preces? T. Deus ultor Jehova, Deus ultor affulgè, invehere terrarum arboriter, redde superbis præmium. Quo usque exultabunt impii? D. Nisi abrumpan, integrum exarmabit Davidem. Hem, salve Theophile, salve, inquam. T. Ah! salvet nos salus ipsa, mi Democides, sine quâ perimus. D. Meliora Deus! Respirabimus, ubi hæc procella transiverit, nunquam sine vicibus hæc terra fuit, nunquam erit, & succedit subinde nubilus lucidus phœbus. T. Scio nunquam defuisse calamitosa Ecclesiæ tempora, at hæc calamitosissima arbitror, & ferè interitus præfaga, quibus Religio expirare penitus videtur. D. Religio, ais, quæ inter tot hosti-

um

DE RELIGIONE CHRISTIANA, 3

um machinamenta & poliorcetica fortissimè militat, &, invito Satana, invicta perflat. T. Est ita, ut ais, magnasque DEO gratias debemus, cujus robore & benignitate illa exterior Ecclesiæ facies inextincta superest, & conscientiæ libertas supra spem etiam & infra metum reliqua: Sed aliud, quod exhorresco, est. D. Hæc trepidantium Natura est, ut præsentibus bonis nesciant uti, futurorum malorum formidine. At fortis sic iis, quæ in manibus sunt, dominatur, ut ad ventura alacriorem animum adferat. T. Quam velim nos nostra sic in præsens curare, ut subsequituris sufficiamus. Sed, ô dissoluta humanæ societatis vincula! ô fomitem vitalitatis subductum! ô basin diurnitatis everfam! D. Ænigmata loqueris. T. Obsequium, charitatem, conscientiam, inquam, cæteraque veræ Religionis ornamenta, quibus recta fides olim Orbi conspicua fuit; Itaque metuendum, ne dum de religione, ut meritissimè, ita maximè gloriamur, irreligiosissimi omnium, vel sanè multorum deprehendamus. D. Hoc omnium potissimum explicandum est, de quâ nobis

4 DIALOGISMUS I

Religione sermo sit, nam quot ferè
gentes, tot sibi aliam, & singulæ optimam
vendicant. T. Quam verò aliam agnoscere-
mus, nisi veram; Unicam scilicet Catholi-
cam, Apostolicam, Christianam, extra quam
meræ hæreses, superstitiones, atheismi, atque
omninò nulla salus. D. Nimis hæc Catholica
est, & cuius Sectæ obnoxia. T. Illam dico,
quam Jesus Christus *Ἰεσὺς Χριστὸς* & cœlitus
allatam, Scripturæ consentaneam & docuit
ipse, & Apostolis Orbi patefaciendam concre-
didit. D. Nimis ampla etiamnum est. T. Illam
intelligo, quæ tribus Symbolis expressa, à Chri-
stianâ Ecclesiâ recepta, gentibus stultitiæ, Ju-
dæis offensionis fuit, à Doctoribus culta, Ty-
rannis afflictæ, Martyribus professa, Hæreticis
exercita, Piis continuata, Prophanis ma-
culata, in hunc usque diem superfuit. D.
Nondum satisfaciunt ambages. T. Illam
intelligo, quæ ab Antichristo Orientis
pulsa, Occidentis subjugata, miserè que
coarctata, post veritatis sibilos queru-
lari, inde vociferari, mox ad libertatem
conclamare, eandemque propitio DEO
impetrare Majorum nostrorum, ætate
nostra

DE RELIGIONE CHRISTIANA. 5

nostra obtinere visa, cuique perennitatem
 acclamare fas est. D. Quin has verborum
 tricas extrica. T. Illam nempe, quam diu
 Lutherus Nobilis Tuba, post tot seculorum
 silentia, clare insonuit, quâ Augustum
 Germaniæ Principum Consensum excitavit,
 quâ sui seculi eruditos animavit, Pon-
 tificis minas, Thomæ Scotique arguti-
 as, Cucullæ imposturas, Müntzeri tu-
 multus, Carolstadii raptus, Zwinglii ver-
 futiem, Schwenckfeldii præstigias præ-
 ter variorum monstrorum vires & fabulas
 masculè retudit, & à genuina Christi Ec-
 clesiâ separavit. D. Parum à nobis aberis, si
 explicatius loquaris. T. Quam denique
 aliam à me exigas, nisi qua Vir DEI D.
 Joannes Brentius de nobis sanctè meritus
 est, cui ille Heros D. Jacobus Andreæ ad
 concordiam aram, memorabili opera litavit,
 quam D. Herbrandus. D. Schnepfius, D.
 Osiander, D. Gerlachius, D. Haffenreffere-
 rus, aliique sacrorum murorum nostri Vi-
 giles, bonorum commodo, malorum tædio
 ebuccinarunt. D. nunc tandem noster es.
 T. Tandem verò? quasi nescias, quo loco,

A 3

aut

aut munere sim, quibus natus Parentibus, edoctus Præceptoribus, cultus Amicis, cognitus Speciminibus, sed id potius Sycophantis imputaverim, quibus suspicari, & calumniari ludus est. Nos divino favore & lucidi verbi DEI, & Ecclesiæ inter nos hospitantis, & tot præclarorum Christi organorum, nobis familiariter cognitorum, & fidei datæ repetitæque & concreditæ, ingentis multitudinis, & famæ nostræ illibatæ, reverentiores, observantioresque sumus, quam Christiani hominis cor, linguam manusve desiderari in nobis patiamur. Missa hæc faciamus, tu verò, mi Theophile, hæc mihi exprime, quæ in hac nostra Religione metum tibi faciant, nam sive togatam eam, ut ita dicam, sive armatam spectem, est quod nos delectet, & favorem DEI pollicetur. T. Idem profecto agnosco, & domi vigilare fideles DEI servos, & foris excubare sedulo, ac in acie pugnare fortiter, fateor; tamen quæ fiat, ut ad pauciores redundet verioris Religionis usus, minusque multis innotescat sub tot Doctoribus Christus, id equidem vix capio. D. Id ædepol hominum vitio obtingere necesse est,
 nulla

DE RELIGIONE CHRISTIANA. 7

nulla Religionis, aut docentium culpa, cum
 mundo invisa sint pariter & incomprehen-
 sibilis, quæ Christus exigit. T. Neque ego
 quicquam Religioni imputaverim, quam
 denuo verissimam atque unicam, quæ ad sa-
 lutem ducat, profiteor. De Administris
 est quod hæsitent, etsi nolim cujusquam co-
 natus pios improbare, aut rejicere melius
 consilium. D. Licetne ex te quærere, quæ
 in nobis potissimum desideres. T. Malim
 te dicere, In multis aut potius quibusdam;
 non enim nescio plurimorum pia desideria
 & utiles operas. Sed quis vel paucos ausit
 accusare, ubi non, ut in libera urbe, libe-
 ris linguis uti concessum est, nec hodie
 Christianus candor à maledica lingua di-
 stinguatur. D. Obsecro te per hunc cando-
 rem Christianum & ingenuum, ut ab omni
 livore alienus, quid è re nostra sit, expli-
 ces. T. Quid videatur, cum bono DEO,
 cujus tutelæ innocentiam meam committo,
 explicabo. Tu vero, si quid minus rectè
 perceperis, audacter mone. D. Loquere
 confidenter, ita Christus tibi adsit. T. Mul-
 ta sunt, quæ possint in rebus nostris ad
 Lutheri mentem institutionemque revocari,

8 **DIALOGISMUS I**

quæ temporum vitio paulatim obsolescunt, sed ea omnia emovere, nec hominis unius est, nec hujus diei negotium. Duo omnium maximè renovata vel repetita exoptarem: Unum, ut ad Verbi Divini regulam & conscientiæ normam, vel Leges vel rationes politicæ magis adaptarentur, majorque harmonia Divini humanique instituti conspiceretur; quod omnino Christianos decere, imo nisi fallor obligare evidentissimum est, alioquin alteri vitæ & æternitati minus convenientes futuros. Alterum, ut non tantum de publica Verbi Divini annunciatione, verum etiam privata singulorum institutione rectè curanda, major esset sollicitudo, quæ & prædicationi aptiores, & fide certiores omninoque Christianæ Religionis magis eruditos redderet. D. Tu hæc obsoleta ais, quæ in usu frequentissimo sunt. T. Scio, quid dicas; sed nec quid ego hæsitent, nescio. Multi & apud Judæos olim & apud hæreticos hodiè, verioris cultus tituli prostant, quos rei veritas destituit, ita apud nos fieri perfacile potest, ut sine re nomen aliqui possideamus. Nam ut illud prius deseramus, quod & majoris indaginis est, & nostris

DE RELIGIONE CHRISTIANA. 9

stris Superioribus relinquendum, hoc posterius nisi ad oculum tibi demonstravero, oblatrasse dicar. Et tamen monendus es, maximi interim fieri & examina publica, erudiendæ plebi feliciter destinata, & ludos pueriles imbuendæ juventuti usu sacros, & domesticam curam parentum propagandæ Religionis imprimis aptam, quibus institutis prioribus sæculis, Pontificiis imprimis, præstamus; sed quia huic sollicitudini addi aliquid possit, imo debeat, & invalescente impietate necessum sit, id est, quod discutiendum videtur. D. Equis vero est, qui id vetet, aut qui non hanc concordiam exprobet, quoties minus instructos Catholicis Quæstionibus audiat? T. Recte tu quidem, sed minus expertè, ut qui nescis, cujus laboris non dicam, sed quot hominum fatigationis & ingeniorum dexteritatis sit, erudire promiscuam multitudinem, ut ex tot monstris barbarisque conflata, uniformem aliquam Religionem constituat. Cujus si lubet, vel in familia tua experimentum cape, & specimen nobis siste. D. At huic rei jam ante & à peritis rectè prospectum est. T. Iterum ingemino, ni-

hil me alienæ industriæ & fidelitati detraxere; hoc tantum persuasum nobis velim, nec ab omnibus id fieri, nec omnia uni data, aut eodem loco inclusa, sed Orbis Christiani varia esse ad Religionem instillandam instituta, quæ si imitari, aut nostris addere, vel cum nostris temperare non dedignaremur, rectius fortasse nostris consulturos. Sic provinciæ aliæ aliter, sic Republicæ, sic Urbes, hanc rem curant eâ felicitate, ut nobis somnolentiam, nostris inscitiam interdum exprobrent. D. Non sufficiunt ingenia agrestia illis Civicis argutiis. T. Quas mihi argutias exprobras? Ad Catechesin nostram appello, quæ ut minutissimo complexu fidei Christianæ Summam propinet & perpetuis explicationibus sese insinuet, tamen quam plurimis veriore suo sensu peregrina est. Scilicet verba omnes deblaterant, fidem pauci exinde firmant. D. Cave in bonorum simplicitatem injurius sis, qui quod minus eleganter ore proferunt, corde tamen devotè fovent & custodiunt. T. Imo hi sunt, qui me unice solantur, & quos Verbi Divini vox Spiritusque S. voluntas obsequentiores habet,

DE RELIGIONE CHRISTIANA. II

habet, quam streperos mundi sophistas, & nasutiores curiosulos. Interim dolet sub clara luce cæcutire noctuas, & caligare in Religione, quibus in reliqua sunt aquilini oculi & emissitii. D. Fallor an æque minus sentis de vulgo, mihi certè nasutior videtur hæc ætas, quam ut rudimenta Christianitatis ignoret. T. Visne, hanc rem exploremus certius? D. Volo utique, nam nondum persuades hac nos parte laborare, quâ insultamus aliis. T. Expecta sodes, dum tibi adduxero præclaræ cognitionis speciem. D. Ut lubet. Nescio quid Theophilus noster in sinu foveat, cui optima relictissimaque instituta minus satisfaciunt, nec, quod queruletur, unquam deest. T. Sequere me, Georgi, ut quid è sacrâ æde lucrari retuleris, audiamus. G. Non solet lucrosum esse tempus, quod templis impenditur. T. Nos animæ lucrum, non oculi, intelligimus, mi Georgi; Quodnam concionis Thema fuit? G. Multa & varia protulit Ecclesiastes, quæ capere omnia non potui. T. Sed aliqua; Quis, obsecro, textus fuit? G. Subaudi. T. At ipsa concio eum prodidit. G. De DEO locutus est.

est. T. Non potuit, quin DEUM subinde nominarit. Verum quid de DEO? qualem descripsit? quomodo insinuavit? G. Supra me sunt. T. Nihil ergo ex hoc sermone superest? G. Exciderunt, quæ adfuerunt. T. An te meministi Christianum esse? G. Omnino. T. Unde id habes? G. Ex decem Præceptis. T. Eho, an Decalogus te facit Christianum? G. Nequaquam. Nostra enim opera non sunt perfecte bona; quod sumus in peccato concepti & nati. T. Cur baptizatus es? G. Propter Coenam Domini, T. Quid est Coena Domini? G. Est Sacramentum seu divinum signaculum, quo certo significat Deus Pater per Jesum Christum Filium suum cum Spiritu S. quod sit ei, qui baptizatur, DEUS propitius. T. Ecquid narras Georgi, an hæc Domini Coena est? Dic vero, quoties hac uteris? G. Semel ac iterum in anno. T. Etiam peccata fateris? G. Sic decet. T. Peccator ergo es? G. Sic ajunt. T. Peccatum quid est? G. Prædicatio Evangelii de Jesu Christo. T. Appage hanc definitionem. Peccatum, bonum an malum est? G. Malum. T. Quam poenam debet? G. Gehennam. T. Ergo &
Tu

DE RELIGIONE CHRISTIANA. 13

Tu gehennæ reus? G. Neutiquam. G. Quæ
 excusatione & exemptione? C. Propter fi-
 dem. T. Euge, mi Georgi, quæ hæc fi-
 des est? G. Credo in DEUM Patrem
 omnipotentem Creatorem cœli & terræ.
 T. Quis te creavit? G. Jesus Christus. T.
 Atqui modo aliter dicebas, dic vero, de
 quo conceptus est Christus? G. Pontio
 Pilato. T. Heu miseriam, sed Mater
 quæ? G. Virgo Maria. T. Cur natus
 in hunc mundum? D. Obmutuit. T.
 Credisne remissionem peccatorum? G.
 Credo. T. Quâ fiducia? G. Non pro-
 pter hanc causam, ut satisfaciamus nostris
 operibus pro peccatis, & mereamur vi-
 tam æternam. T. Hoc aliquid nihil est,
 hoc nihil est aliquid. Age vero, quis in-
 stituit Cœnam? G. Christus. T. Cur id?
 G. In ea nocte, qua traditus est, & cum
 Discipulis suis cœnavit. T. Satis est,
 nec pergito; Quibus usus est Elementis
 ad instituendam Cœnam? G. Corpore
 & Sanguine JESU Christi. T. Quid
 vero de pane & vino, quæ horum utili-
 tas? G. Hæc est utilitas ejus, quo reputor
 per hæc fidem coram Deo justus & san-
 ctus,

ctus, propter JESUM. T. Nempe de
 aliis tu, cum de capis ego. Quas ha-
 bes preces? G. Ego sum Dominus tuus,
 non habeas Deos alienos coram me. Se-
 cundum, non assumes. T. Macte indu-
 stria, mi Georgi, Quot habes annos? G.
 Viginti septem. T. Tantula ætate, tan-
 tum cepisse. Quid fiet, ubi adoleveris?
 At nunc abi, licet, nos hac de re plura
 inter nos conferemus. G. Bene sit vo-
 bis. T. Tu vero Democides, ecquid sen-
 tis de nostro Georgio? D. Pudet & tædet:
 tu vero hunc selegisti, quem mihi expro-
 brares. T. Ut me Deus adjuvet, hunc si
 audivisti, plerosque è turba audivisti, au-
 diturus adhuc magis absurdos, si solitudi-
 nes adire libeat, quos tamen pro Christia-
 nis indifferenter habemus & admittimus.
 D. Semper mihi recurrit tuus Georgius. T.
 Memento iterum, iterumque hunc non
 ex deterritis esse. Nec tamen nego,
 non paucos fidei Religionisque suæ ratio-
 nes ad amissim habere, & magna nostra
 admiratione, nedum voluptate reddere.
 D. Ecquid agimus, si illi hos numero
 vincant. T. Vincunt, heu vincant, ah
 vin-

DE RELIGIONE CHRISTIANA. 15

vincunt, quicquid tandem ad Christi tribunal respondeamus. D. Exhorresco. T. Quid de iis fiet, quibus unus dies solis operarius sive verius mercenarius est, reliqui omnes feriat, aut voluptuarii etiam. D. Ipsi viderint. T. Quid de iis, qui artificiosis sermonibus, etiam centonibus sibi mirifice placent, inter inertes & vix Nominis Christi, nedum Habacuc, Sophoniæ, Aggæi conscios. D. Habebunt quod respondeant. T. Quid de iis, qui unius aut alterius semestris Curiones, omnes Hæreticos, etiam Novitios, & vix nomine notos in arenam productos confodiunt, dilaniant & comminuunt, antequam de pacis bellive Ecclesiastici conditionibus quicquam inauditum. D. Noli hos tangere. T. Quid de iis, qui usque adeo tritis consuetisque inhærent, ut Religioni sit, quicquam pro incrementis rei Christianæ tentare, piaculo quemquam id audere. D. Tace. T. Quid de iis, qui suis unis ac solis Formulis, Phrasibus Regulisque inviolabilibus, ita Christi Ecclesiam sub anathemate coarctant, ut qui in ejusmodi traditiones
etiam

etiam salvo Christo impingant, aut imprudenter hos laqueos contrectent, execrabiles sint. D. Periculosa recitas. T. Ita est, per quæ alii nostra etiam confessione salvantur, nos perire necessum sit, si his credimus. D. Cum redierit Herus, servus, qui conservos suos cædit, poenas dabit. Quæ vero nobis spes exactioris religiosæ cognitionis superest? T. Perampla. Si nec pigeat erudire juventutem, nec pudeat, ab aliis, quæ hæctenus negleximus, discere. Nam & desperare de profectu, & dedignari aliena consilia pariter inglorium & injurium est. Ego certe, me plane convictum & diurnæ socordiarum fateor. D. Anne exemplum habes, quo id persuadeas? T. Habeo equidem, quod Deo meo debeo, atque adeo domesticum. D. Tu ne? T. Ego verò, Christo laus sit, quem omnis ætas, si recte curetur, capit. D. Beabis me, si id monstres exempli? T. Atque lubens. Heus Eusebi, fili mi, ades dum! E Adsum Pater. T Est, quod te velim. E. Paratus sum cum bono DEO. T. Laudo te, qui DEO niteris, an & eidem credis? E. Utique vero, nem-

DE RELIGIONE CHRISTIANA. 17

pe Bono, Justo, Clementi, Sapienti, Potenti, Infinito, Æterno. T. Unde hoc habes? E. Ex Opere suo & Verbo. T. Nec aliud agnoscis Numen? E. Nullum nisi unum, sed idem trinum: Deum Patrem, Filium & Spiritum S. Secus quam Epicuræi, Gentiles, Turcæ, Judæi & Hæretici somniant. T. Quodnam illud opus? E. Universitatis in principio ex nihilo factæ, & aliquando desitura. T. Etiamne DEI hæc sustentatio? E. Est atque sapientissimum regimen, quod ut creaturis, maxime animatis propitium, ita Ecclesiæ sacratis peculiare, denique omnibus actionibus præsentissimum est. T. An nulla exinde arcana necessitas? E. Dei obsequium violentum non est, qui bona jubet, juvat, regit, ornat; mala vetat, vitat, vertit, punit, ut cum Stoicis, Astrologis, & Calvinianis nihil commune sit. T. De Verbo Dei quid habes? E. Id quod Bibliis, sive Sacris literis, maxime Canonicis, authore Deo perscriptum, & custode Ecclesia transmissum, opera, materia, stylo, harmonia, vita, perfectione, miraculis, propagine & orbis consensu, inimici-

inimitabile. T. Et hoc tibi sufficit? E. Abunde, ut quod nulla unquam ætas, nulla hæresis exhaustit. T. nec obscurum aut flexiloquum videtur? E. Non nisi talibus. T. Et vivit? E. vivit, inquam, invitis Fanaticis, frementibus Epicuræis, nugantibus Pontificiis, subsannantibus scurris. T. Ita loquere, sic tibi Angelus Domini adsit. E. Ita plane confido, ut qui bonos genios post laudes DEI & obsequia, meæ custodiæ additos: malos, quos olim superbia perditos, seductio exosos, mendacium infames, odium nobis fugiendos reddit, DEI manu arcessendos credo. T. Hactenus cœlestia. Ecquid Terra habet præcipuum? E. Hominem. T. Quodnam illud animal? E. Omnium nobilissimum & universi hujus verum quendam incolam, cujus Corpus limus, Anima Divinum Spiraculum, ad imaginem Dei intellectus summa cognitione, voluntatis libero consensu, & virium perfecto obsequio, Trinitatis consilio conditum & propagatione naturali multiplicatum. T. Hæc hominisne fuerunt, an Dei

DE RELIGIONE CHRISTIANA. 19
Dei propria? E. Dei donaria, & hominis
ornamenta intima, quæ nec cum Scholasti-
cis accessoria, nec cum Flacianis Substan-
tialia dici possunt. T. Fuit tamen opti-
ma quæque cum eligendi, tum judicandi
faciendique libertas. E. Heu fuit, nunc
nisi stupor & cœcitas nihil super-
est, nisi succurrat pura meraque
DEI gratia, quæ in restauratione per
Christum elucescit. T. Nec amplior spes
restat? E. Imò æternitatis maxima, qua
deperdita cum lucro repetemus. Inte-
rim valeant Pelagiani, Papani, Flaciani,
Calviniani, quotquot nostræ calamitatis
sensum, restitutionisque beneficium of-
fuciis suis depravant. T. At unde tot
tantæque calamitates? E. E peccati meri-
tissimo supplicio, quod & originali fomi-
te nos omnes infecit, & pravis affecti-
bus contaminavit, & contagione aliena
oneravit, & haud rarò impotenti imperio
subegit, interdum etiam in Spiritum S.
blasphemus facit indeque Vindictam DE-
UM reddit. T. Hic iterum cave Pelagi-
anos, Manichæos, Pontificios, Calvinia-
nos, quibus sinistra mens est. E. Facio
ac

ac follicite. T. Exeamus in misericordia Divinae campum, & de nostra redemptione conferamus. E. Lubet deliciarum in Christo, per quem DEUS decrevit omnes credituros salvare. T. Quin omnes in universum salvasset? E. Omnibus optime voluit, sed fideles tamen hoc beneficium apprehensuros praevidit. T. Qui ergo reprobi. E. qui in Christum injurii, quicquid decernant Calviniani. T. Itane omnia Christus? E. Omnia; cujus persona mysterium summum, officium, meritum maximum. T. Capisne aliquid hujus mysterii? E. Quantum aetas finit, primum admiror Filii DEI & Filii MARIAE Virginis ineffabilem & indissolubilem unionem personalem; dein obstupesco incomprehensibilem proprietatum diversissimarum communicationem, quibus redemptionis opus absolutum, regnumque Christianum constitutum est. T. Non te hic turbant Scripturae phrasae? E. Non possunt, nam aut appropriationem humanarum proprietatum, aut humanitatis exaltationem, aut utriusque junctam operationem distincte innuunt. T. Semperne

DE RELIGIONE CHRISTIANA. 21

perne eadem Christo potestas fuit? E. Semper, sed sub servi forma occultata (nisi ubi in miraculis majestatem carni suæ assumptæ verè communicatam manifestavit) quam postea gloriose exercitam nunc in majestate plenariam exercet, & omnia implet. T. Non omnibus idem videtur, at tu Calvini sobolem maxime vita, ita & Arrius & Photinus minus negotii faceissent. De Christi officio quid explicatum habes? E. Quod nomen innuit, Propheticum quippe esse, cum nos Verbo pascit; Regium, cum Sceptro dirigit; & Sacerdotale, cum pro totius mundi noxa se perfectam hostiam semel obtulit. T. Quid etiam damnandorum? E. Planissime, quos iucredulitas ejecit, non Calvinii restrictio. T. Nullus hic operum respectus? E. Ne atomus quidem se meriti Christi mari misceat. T. Qui ergo Christi beneficium apprehendimus? E. Sola fide, eaque non scripta, pictaque, sed cordata atque singulari, ac in Christum unice directa. Estne hæc unius modi? E. Non virilis semper est, sed laetanda etiam & fovenda, dum adolescat, quæ

quæ & expirare, si insolescamus, potest.
 T. Unde vero hoc præclarum donum?
 E. Ex auditu Verbigratiaë, cui sufflaminat
 facer Spiritus, succollant sacramenta, li-
 tant preces, obsequitur conscientia. T.
 Fidei quis finis? E. Salus aeterna, quam
 excutit Calviniana desperatio, Epicuræus
 neglectus, Pontificia dubitatio. T. cum
 salutis fides basis sit, quæ vitæ nostræ est?
 E. Lex Dei, non illa quidem ceremoni-
 alis, nec forensis undique, sed moralis
 Decem præceptis expressa. T. Atque &
 hæc nimia. E. Itaque nec perfecte eam
 impleverimus, nec præmium ejus expe-
 ctabimus. T. At nos Anathema ferit?
 E. Id Christus fidelibus condonavit, in-
 superque imputavit suam Justitiam, qua
 perfecti audiant, & majora viribus super-
 no robore perpetrent. T. Itaque Legem
 admittis. E. Ut Pædagogum, qui malos
 coerceat, bonos officii admoneat, cæte-
 rum Christo omnia libera, ac nos imbe-
 cillitati relinquat. T. Pudeat itaque
 Phariseos simulationis, Pelagianos præ-
 sumptionis, Pontificios æmulationis, An-
 tinomos exemptionis, & Anabaptistas li-
 cen-

DE RELIGIONE CHRISTIANA, 23

centiæ. E Pudeat utique & in Christum ingrati-
tudinis. T. Quid est, quod Ev-
angelium dicimus? E. Verbum Messia
olim in Veteri Testamento obscurius &
angustius, nunc lucidum & per orbem
sonorum, pœnitentiæ admonens, & mi-
sericordiam DEI in Christo fide appre-
hendendo offerens. T. Quale hoc Ver-
bum? E. Supernaturale, indulgens, gra-
tuitum, beneficum, consolans, quod
à Mosis illo distinguitur. T. Quæ illa
pœnitentia est? E. Peccantis seria contri-
tio, & per fidem Christi acceptatio. T.
Non charitatis etiam studium? E. Hoc ar-
boris in Christo transplantatæ fructus bo-
ni sunt, & necessarii in fidei testimonium,
beneficiî gratiam, & officii promptitudi-
nem. T. Quæ hic vitanda censes? E. Ca-
tharorum sanctimoniam, Pontificiorum
meritoria, Calvinianorum supinitatem,
Epicuræorum lethargum, & Libertino-
rum dissolutionem. T. Memini te Chri-
stum Regem dixisse, quod ejus Regnum
est? E. Ecclesia una, sancta, Catholica
& Apostolica, sive Fidelium cœtus, Verbo
Sacramentisque fatus, & Spiritus S. do-
nariis

nariis instructus, hic quidem notabilis, at uni Deo visibilis. T. An nullas habet Ecclesia vices? E. Crescit & decrefcit, triumphat & militat, floret & flaccescit, natus & mergitur. T. Quæ ejus auctoritas? E. Verbo Dei limitata & concordia conspicua. T. Non vero Papa Vicarium caput? E. Apage Anti-Christianum monstrum, administratos agnoscit, nullum tyrannum. T. Qui illi? E. Qui divinitus vocati, ordinatique Verbum Dei rectè docent & Sacramenta ex instituto Christi dispensant. T. Divinitus ais? Qui hoc fit? E. Presbyterii electione, Magistratus confirmatione, & Auditorii approbatione, quæ obfignat tandem ordinatio. T. Quæ verioris ministerii notæ? E. Vox Christo consona, & vita eidem conformis. T. Quæ requisita? E. Absolvere pœnitentes, ligare contumaces, & decoris ordinisque custodem esse. T. Quid vocas solvere? E. Nomine Christi condonare peccata credenti. T. Quid ligare? E. Nomine Christi annunciare pœnas impœnitenti. T. Si nihil hic proficias? E. Post varias medicinas abscindendum

D
 dum
 mem
 noce
 quam
 cipia
 culpa
 recess
 de u
 Adia
 Chri
 aliquid
 est?
 jugu
 vinia
 num
 etiam
 licet
 dotii
 eadè
 E. N
 Bapti
 Dom
 que
 bus?
 vent
 T. A
 Ut n

DE RELIGIONE CHRISTIANA. 25

dum est hoc emortuum putridumque
 membrum. T. Utinam, utinam, ne scandalo
 noceat. E. Magna hæc Ecclesiæ pestis est
 quam ne immittamus cavendum, ne ac-
 cipiamus itidem. T. Sine nulla nostra
 culpa emergat. E. Tum nihil ab officio
 recesserimus. T. An etiam omnia rigi-
 de urgenda? E. Charitas Christiana in
 Adiaphoris modum docebit, dum modo
 Christo nihil decedat, aut accedat Satanae
 aliquid. T. Ecquid Ecclesiæ maxime ob-
 est? E. Fanaticorum vertigo, Pontificis
 jugum, Schvvenckfeldii somnium, Cal-
 vinianorum deformatio, & Weigelia-
 num hodiernum portentum. T. Nunc
 etiam de Sacramentis videamus. E. Sci-
 licet Divini fœderis signaculis, & sacer-
 dotii Christiani Symbolis. T. Recte: at
 eadême utriusque Testamenti sunt?
 E. Non, sed in Circumcisionis locum
 Baptismus, ac Agni Paschalis Cœna
 Domini successit, authore, institutore-
 que eodem, requisitis iisdem. T. Qui-
 bus? E. Verbo & Elementis, unde ad-
 ventitia alia & fictitia omnia evanescent.
 T. Anne hic signaculis nobis opus est? E.
 Ut maximè, quæ nisi Deus sponte concii-

B

lias-

liasset, nostra indigentia exigeret. T. Cur
 Baptismum? E. Ut ab originali & actua-
 li labe hoc sacro fonte abluti, gratiæ par-
 ticipes, & cœlicæ hæreditatis capaces
 redderemur. T. Cujus hoc nomine fit?
 E. Patris, Filii, Spiritusque S. T. Quo ad-
 ministro? E. Ecclesiaste, aut si casus urge-
 at, quovis Christiano. T. Quo liquore?
 E. Aqua, ut jussit Christus. T. Quibus
 testibus? E. Christianis. T. Qua ætate?
 E. Omni. T. Quoties? E. Semel, Christi
 & Apostolorum exemplo. T. Qua neces-
 sitate? E. Salutis, nisi infelicitas excuset.
 T. Quo receptaculo? E. Fide, quam etiam
 parvulis pollicetur Deus. T. Quo hono-
 rario? E. Spiritus donariis, quæ his so-
 lennibus re ipsa confert, & tradit, sed ab
 ingratis iterum repetit. T. O insigne
 munus, cui tamen non pepercit hæreti-
 ca colluvies. E. Quippe, nec Pontificia
 inquinamenta, nec Anabaptistica tradi-
 menta, nec Novitianorum rigor, nec
 Calvinianorum tepor, ut reliquos tace-
 am. T. De S. Coena quid sentis? E. Æ-
 que magnificæ, ubi Christus corpus suum,
 cum pane comedendum, sanguinemque
 cum

D
 cum
 que
 T. N
 alite
 men
 ba,
 Tran
 Deli
 latio
 Qui
 mali
 illi i
 Non
 es n
 imb
 tant
 obfi
 flam
 veri
 tia,
 gno
 stitu
 sum
 scel
 can
 fac

cum vino bibendum porrigit, passionis-
 que meritum, & effectum suum obsignat.
 T. Nempe Symbolice. E. Imo vere & re-
 aliter. T. Quod hujus mysterii funda-
 mentum? E. Clara testatoris Christi ver-
 ba, quæ si ne latum pilum deseramus, &
 Trans Substantiæ & Consubstantiæ, &
 Delitescentiæ & Significationis, & Specu-
 lationis deliramenta sponte refellentur. T.
 Quinam hujus participes? E. Bonijuxta &
 mali, forte tamen inæquali, hi obnoxii,
 illi innoxii. T. An etiam Infantes? E.
 Non, quia nondum probati. T. Quoti-
 es nos vero? E. Sæpe mandato Christi, &
 imbecillitatis nostræ levamento. T. An
 tanti usus? E. Ingentis, scilicet ut fides
 obsignetur, Christus induatur, vita in-
 flammetur, Religio exprimatur. T. Quæ
 verior accommodatio? E. Sub pœniten-
 tia, quam testatur publica confessio, ma-
 gno commodo & Ecclesiæ ornamento in-
 stituta. T. Ecquid Sacræ Coenæ adver-
 sum? E. Pontifex commentus est quatuor
 scelera, Transubstantiationem Idolatri-
 cam, Missam theatricam, unam speciem
 sacrilegam, & confessionis sigillaristortu-
 ram,

ram, cum manifesta Verbi Divini injuria.
 T. Quid Calvinus? E. Vix æquiora, trop-
 pos neſtit, ſurſum evolat, Chriſtum vin-
 cit, Symbola evacuat. T. Anabaptiſtæ
 verò & alii? E. Hi ſympoſium malunt,
 cyclopes lanienam, impii omnes hiſtrio-
 niam. T. Quo fine hæc, tot, tantaque
 quæ hætenus recitaſti bona, homini col-
 lata ſunt? E. Ut juſtificetur. T. Quid
 hoc verbi eſt? E. Scilicet, gratuita miſe-
 ricordia Dei, per & propter meritum
 Chriſti, ab omni reatu abſolvatur, illius-
 que juſtitia per fidem ei imputetur. T.
 Quo merito hæc impetramus? E. Nullo,
 nam hic omnes noſtri conatus & opera
 evaneſcunt. T. Qua manu accipimus?
 E. Fide, qua alienæ ſanctitatis & perfe-
 ctionis participes reddimur. T. Anne
 hæc novum juſtitie habitum adfert? E.
 Non ſinit hæc noſtra corruptio, reſor-
 matorum tamen vitam evidentiffime refor-
 matam, Chriſto conformat. T. Quam
 ergo reddimus gratiam? E. Hanc ipſam,
 quod Chriſtum induti, eum tota vita,
 quantum carnis ſarcina permiferit, reſer-
 ramus. T. Vere hæc juſtificatio gratuita
 offen-

DE RELIGIONE CHRISTIANA. 29

offensionis lapis est, ad quem tot mundi ætates impegerunt. E. Sic Judæorum fastus, hypocritarum fuci, Pontificiorum nundinæ, Synergistarum futuræ, & hodiernæ Weigeliæ immanes calumniæ. T. An etiam, quæ Christianorum tessera sit, nôsti? B. Crux opinor, qua Filio Dei conformes, Patris clementiam experimur, carnem subigimus, Deo attrahimur, alios erudimus. T. Sed patientia opus est. E. Profecto ut Dei consilia capiamus, nosmet introspeciamus, & de fine optimo bene speremus. T. Quis hic optimus Doctor? E. Ipse Christus, & quisquis ei æmulus. T. Si caro deficiat? E. Precibus suffulcienda est, quas Christianorum panopliam facile dixeris. T. Cui debentur? E. Uni Deo, hominique Christo. T. Quo loco & tempore? E. Omni. T. Qua formula? E. Potissimum Dominica. T. Quibus conditionibus? E. Si cœlica petas, nullis, si terrena, Deo resignatis. T. Qua mora? E. Deo arbitraria. T. Sapis: haut itaque Ethnicorum Idolis, vel Judæorum Turcarumque nebulis, vel Pontificiorum Sanctis & Statuis, vel Epi-

curæorum ronchis, vel Calvinianorum
 superciliis accesseris; an etiam vitæ ordi-
 nes pertransimus? E. Ut lubet. De Ec-
 clesiastico quidem jam vidimus, restat
 Magistratus & Oeconomicus. T. Etiam
 Magistratum admittis? E. Quidni, si re-
 cte credat, veritatem foveat, jus dicat,
 exemplo præluceat, malos coerceat, pa-
 triam tueatur, bonos præficiat, Ecclesiam
 ornet. T. Si nihil horum? E. Feren-
 dus, quia ita Deus jubet. T. Quid illi de-
 beamus? E. Honorem & obsequium. T.
 Quid huic? E. Eadem, salva tantum con-
 scientia. T. Furunt igitur Anabaptistæ,
 qui nullum admittunt: imponit Papa,
 qui omnem calcat; infelices sunt Tyran-
 ni, qui irato Deo imperant. Cæterum
 de Conjugio quid videtur? E. Quod de-
 cet de instituto Dei, humanæ societati
 & propagini opportuno. T. Quibus jun-
 gi inter se licet? E. Primum, binis tan-
 tum hoc tempore, cum nec prisca exem-
 pla diversa probemus. Dein, non ni-
 mis consanguineis, aut affinibus, deni-
 que ætate minoribus, non sine majorum
 arbitrio. T. Quis hos nobis propinqui-
 tatis

DE RELIGIONE CHRISTIANA, 31

tatis limites fecit? E. Deus ipse, & jus municipale. T. Qua regula? E. In recta quidem linea prohibitione perpetua, transversa verò, una à communi stipite gradu terminata, quorum nec conjugibus jungi fas est. T. Nullane datur exemptio? E. Ubi Deus vetat, nulla; ubi Leges, honestatis est arbitrium, sed ordinarium. T. Nemini verò conjugio interdictum? E. Nemini apto & honestè ambienti. T. Eademne solutionis facilitas est? E. Nulla omnino, adulterosenim & desertores rupisse potius foedus, quam solvi dicendum est. T. Repetere tamen Nuptias licet? E. Licet piorum utique exemplo, interim hujus casti amoris reverentia, abominemur Judæorum & Gentilium levitatem, Pontificiorum immunditiam, Anabaptistarum & Turcarum polygamiam porcorumque foetorem omnium. T. Bono animo esto Eusebi, littus video. E. Quid ita? T. Parum superest, quod ex te quaram. E. Nunquam fatigabor, mi Pater. T. Mortem intueor. E. Nulla hæc Christianis est, nedum formidabilis. T. At carni amara. E. Sic decet, quæ nimium

mium illecebris obsequuta est, dum modo Animæ conducatur. T. Cordatè, sed nemo ab hac liber? E. Nemo nisi quem Deus eximat, sufficiat nobis per Christum mortem vitalem esse. T. Itaque nec mortem negliges, nec exhorteris. E. Comite Christo, cujus vita vitæ mors, mors mortis vita nostræ est. T. Animæ itaque nihil metuis? E. Eam Deo auctori resigno, at væ impiis, quibus ad æterna supplicia abitus. T. De corpore nulla cura? E. Id terræ Matri relego. T. Non tenebo? E. Non, prohibet piorum exemplum, sed applaudere beatis præstat. T. In Limbum ne abibis, an in Purgatorium? E. Fabulæ inanes, lucrosæ tamen sunt Pontifici. T. Nec ad nos nostrasque calamitates respicies? E. Hæc Deo curæ sunt, mortuis memoriam, Deo cultum & invocationem debemus unice. T. At si hic mundus perennis perstet. E. Non potest, quem Daniel, Christus & Apostoli interituum prædixerunt. T. Negat Aristoteles. E. Fallitur & fallit. T. Quid vero rupto mundo fiet? E. Mortuorum & vivorum ad iudicium convocatio.

DE RELIGIONE CHRISTIANA. 33

tio. T. Non præbit illud multis deside-
 ratum aureum seculum? E. Potius cala-
 mitosum, & quod vix pii sustineant. T.
 Ubi hoc iudicium? E. Ad tribunal Dei.
 T. Heu nobis! E. Heu malis, quos accu-
 sabit conscientia, condemnabit iustitia;
 sed bene piis, quos excusabit fides, ab-
 solvet misericordia. T. Quis ille propiti-
 us Iudex? E. Christus noster, cujus inno-
 centiæ palla omnes fideles recondet? T.
 Quid ergo de infidelibus fiet? E. Hos æ-
 ternus ignis & exquisitissimus torquet.
 T. Ite Epicuræi ac remerarii, ac experi-
 mini. E. At pios exspectat vita æterna
 ineffabili gaudio, quiete, satietate, intu-
 itu Dei, conversatione Angelica, reco-
 gnitione Beatorum omnium & perpetuis
 Jubilis. T. Ah! veni Domine, veni. E.
 Veni Domine Jesu, Amen. T. Bene ha-
 bet, redi ad tua, mi Eusebi, & xeniolum
 expecta ob ingenii promptitudinem. Chri-
 stus te porro regat, donisque adaugeat.
 E. Valete per Christum. D. Non abstineo,
 quin hunc dissuavier puerum, adeo me ab-
 rripit admiratio. T. An posthac dubita-
 bis, posse adolescentem adduci, concilia-

rique Christo? D. Quibus obsecro machinis & cochleis id impetras? T. Mera facilitate & lusu; quotidiano nempe, sed jucundo exercitio. D. Hæc sublimia? T. Imò vere puerilia, qua si verò majoris sit Christianæ religionis, quam Grammatices capere Erotemata, Desipimus nempe, qui hæc negamus pueritiæ, dum vigor memoriaque valet, quæ omnem vitam instruere possent & condecorare. D. An vero sufficit his Quæstionibus implere teneram ætatem? T. Nequaquam, sed affuefacienda est Scripturæ litteris, instruenda insignioribus Sententiis Sacris, erudienda Historiis Ecclesiasticis, lustranda precibus solennibus. D. Hic novus Monachatus est. T. Potius hortulus Christianus, quem quia parum excolimus, mirari desinamus, Atheismi senticeta proficere. D. Vereor ut te assequar, interim delectat nihil audivisse ulli Sectæ obnoxium. T. Id prohibeat Christus, ne ungue lato abscedam, certior & confirmator apud me est Majorum, Præceptorumque Evangelica Doctrina, quam ut Pontificis tyrannidi, aut
Calvini

DE RELIGIONE CHRISTIANA. 35

Calvini lubricitati, aut Anabaptistarum
 vertigini, aut Svvencckfeldii cuniculis,
 aut Weigelii cachinnis exponam vel sub-
 mittam. D. Etiam Weigelium addis no-
 stri seculi reformatorem. T. Verius pe-
 stem, & quo nocentiorē vix ulla ætas
 habuit. D. Cave dixeris, quod multis
 cordatis dolet. T. Miror equidem ulli
 cordato posse hujus capitis placere & con-
 fusionem & temeritatem, & intemper-
 em & imperitiam, qua summa imis com-
 miscet, & sine Scriptura concludit, &
 optimis quibusque oblatrat, & stolidita-
 tem identidem prodit. D. Adeone, ni-
 hil boni habet Weigelius? T. Plurimum,
 qua etiam devotionis specie homini-
 bus non absurdis se insinuavit, ita tamen
 veneno livoreque suo oblita, farta, &
 subducta, ut mirari subeat sagaciores non
 oppido dedignari hunc Polypum, qui
 una interdum pagina in varias formas
 vertitur, magis vero non dignari no-
 strum Lutherum frequentiori lectione,
 qui Megalander unus collectim, id-
 que excellenti Spiritu continet bona
 omnia, quæ in Weigelio & ejusmodi fa-

rinæ sanctulis periculose sparsa & diffusa sunt. Quos si Lutheri fervor, ut ajunt, absterret, meminisse oportebat, ubi Christianum format, placidissimum & placabilem esse, atque hæc omnia palam inculcare, quæ isthic velut nova reperia novatoribus cum admiratione tribuunt. D. Atquæ etiam Weigelii subtilis sapientia est, quæ sanctitas? T. Strophæ sunt & nugæ, quibus curiositati humanæ obstetricatur, & bilem suam tutius effundit. Dum hominem format, Dæmonem efficit; dum pium, hypocritam; dum scientem, truncum; sed id monstrum alius depellet Hercules, quid ad me Weigelius? D. Itane alienus factus & peregrinus subito? T. Mordax es, si ludis; levis, si fingis; fatuus, si id credis; lividus, si spargis; varius, si dissimulas; injurius, si imputas; rigidus, si obfirmas; nihil, si condemnas; omnino autem aliud jubet Christiana charitas. D. Meminero, tu animo firmo persta, & contra audentior ito. T. Quantum Deo visum fuerit, cujus unius est addere vel adimere animum, immittere vel retrahere canes,

DE RELIGIONE CHRISTIANA. 37

canes, differre & proferre veritatem,
exercere & erigere innocentiam. D. Be-
atum, si sic in Deum incumbas. T. Ita
opus omnino est, nisi omnem nostram
religionem destructam velimus: nec
hodie magis foeda secta, quam eorum, qui
ore confitentur Deum, opere & fiducia ne-
gant. Nisi enim & Deum credamus, & Deo
credamus, nihil credimus: imò, si Deo non
credimus, nec Deum utique credemus.
D. Vix capio. T. Non miror, cum vix
orbis integer curet, qui cum Deum un-
dique crepet, nusquam obsequio colit.
Creatorem agnoscimus, & creaturas ve-
neramur; Patrem vocamus, & Filios nos
negamus; Sapientem dicimus, & opera
ejus reformamus, Omnipotentem profi-
temur, & homines metuimus; Omnisci-
um admittimus; & fallere conamur;
Optimum, & negligimus; Justissimum,
& accusamus, Nutritium, & anxii
sumus, quid verbis opus est? Tota vita Deo
obnitimur; ut magna sint quidem o-
mnia Dei, at indulgentia ejus maxima.

D. Non eximis Christianos? T. Non
illos,

illos, quos vix nominis sui, nedum ordinis, cura tangit, quorumque sermo, opera, studiaque nihil Christi redolent.

D. Quæ hujus rei culpa? T. Vel Paganismi vel Papanismi reliquiæ, quas subinde resuscitat Satanas, ut Christianas loquendi, vivendi discendique formulas obruat, vel sane prophanis siliquis commisceat.

D. Atque nusquam magis operosæ rigidæque formulæ, quam inter Fanaticos & Anti-Christianos.

T. Dolendum hoc est, idque semper agere Satanam, ut, ubi vita lucet, doctrina caliget, ubi doctrina pura, vita sordeat; sed his machinamentis obnitendum est auspice Deo.

D. Quomodo vero? T. Christiana disciplina, cui serio omnis ordinis homines animum addicere, & incumbere ei quoquo studio & cura decet.

D. Fieri ne hoc possit! T. Scilicet, quod Turcis, Judæis atque adeo Barbaris in sua secta singulis facile, Christianis unis impossibile sit? quin imitamur sectarios, multis nominibus nobis vitæ cultu superiores.


D. Ausisne tu aliquid hujusmodi sperare?

T. Au-

DE RELIGIONE CHRISTIANA. 39

T. Ausim profecto, si idem zelus emenda-
 toris vitæ, qui consensus olim & concor-
 diæ inter Evangelicos sancientiæ, Ecclesiæ
 proceres accenderet. D. Hoc expecta-
 bamus à Rosæ crucis fratribus. T. Ite-
 rum nugaris, an vellicas? Ego scio, pœ-
 nitere hujus fabulæ multos, pudere plu-
 res, tædere plurimos, mihi ridere insani-
 am, misereri credulitatem, increpare in-
 solentiam tot morosophorum lubet. D.
 Non te etiam habuit hic chorus? T. Si in-
 quiris, frustraris; si divinas, falleris; si su-
 spicaris, desipis; si objicis, obtrectas; si
 exprobras, deprædaris j si proscribis, juga-
 las; mihi liberior & magis sana mens est, si
 nescis. D. Per me licet, sed & ipsa exspi-
 ravit fabula. T. Utinam etiam in fumum
 abirent tot chartis relicta tintinnabula, &
 nolæ quibus fabula hæc peracta est. Sa-
 pientia Respublica Christiana, cui quovis in-
 sulso commento illudi potest, caveat lite-
 raria ab hac histrionia. D. Non possum
 tibi succensere, si loquaris ex animo. T.
 Itane varius tibi sum, qui aliud ac aliud
 proloquar, ita timidus, qui verum retice-
 am, ita fugitivus, qui congressus vitæ, ita
 obscurus,

obscurus, qui nusquam pateam, ita solitari-
 us, qui sine teste vivam, ita invisus, qui
 nemini prober, ita levis, qui contra me te-
 ster, ita abjectus, qui non injurias refel-
 lam. Sed hæc Satanæ fraus est, ut ca-
 lumniatori injurato credatur, innocenti ne-
 jurato quidem, post hac ergo Confessio-
 nem Christianam non fide datâ, nec pu-
 blica professione. aut auditorii testimonio,
 sed fidiculis arbitrabimur. D. Tempus
 abit, & avocat prandium. r. Quin mecum
 cibum capis, si lubeat. D. Nisi molestus
 sim. r. Etiam gratissimus, ut quæ ver-
 bis explicare non vacat, nec luber, co-
 ram intuearis. D. Non ero asymbo-
 lus. r. Introeamus.



DIALO-

DIALOGUS II

De

DISCIPLINA
CHRISTIANA,

ILLUST. PRINC. D.

ANTONIO
ULRICO,

D. B. & L. Sacer.

THEOPHILUS, DEMO-
CIDES.

T Ain vero, non displicere mea? **D.**
•Non potuit non probari Oeconomiae
harmonia. **T.** Non adeo brutescimus,
quàm multis videtur, nec vertiginem tan-
tam patimur, quam aliqui imputant.
Pessimi illi, qui in minus explorata decer-
nunt. **D.** Quicquid à communi regula
abit, criticos patitur. **T.** Qui vero fit, mi
Democides, ut quotquot hoc periculoso
tempore

tempore rem Christianam serio curant, animæque suæ solliciti sunt, invisi sint & formidabiles iis, qui Religionem possident, propinquioresve crimini fiant, apud illos ipsos, quam aperte flagitiosi; denique Anabaptistæ citius, aut Schvvenckfeldiani audiant, quam Christiani. D. Quoniam omnium Sectarum hoc genus est, boni devotique simulatio, ne imponere, & toxica invehere suâ, interim dum pietatem exponere jactant. T. Adeone nulla veriora judicia, notæque sunt, quibus Christiana veritas à Sectarum fucis distinguatur. D. Usque eò falsa veris vicina confini aque sunt, ut nisi à lynceis vix separentur? T. At illi lyncei quam sæpe hallucinantur, quam temerarie judicant, quam abjiciunt superbè, quam virulenter condemnant ut Christi spiritum vix ac ne vix quidem deprehendas. D. Id fit fraudulentæ Sectariæ metu, quæ subrepat, ubi vigilantes non masculè inelamant. T. Quid verò faciemus, si hæreson metu, non liceat nobis amplecti, vitæque exprimere quod edocemur? ut Christum audire orthodoxum

sequitur

DIALO QUI-

DE DISCIPLINA CHRISTIANA. 43

quidem sit, sequi verò hæreticum. D. Bona verba, non hæc nostra impietas est. T. Sed multorum incogitantia, qui, dum nimis de hæresi anxii sunt, eos conturbant ac offendunt, qui simplici animo prædicationem Christi admiserunt, vitamque suam conformare sunt enixi. D. Bono profecto zelo fit. T. At rei Christianæ periculosissimo, cum pessimi quique velut Religionis indulgentia in tuto sint, boni aliqui, ob id, quia boni, Religionis trepidatione suspecti & abominabiles habeantur. D. At nihil his facilius, quam explicata fide suâ, probari & reconciliari censoribus. T. Sed & nihil difficilius, quam infamiam in vulgus sparsam, & Magnatibus infusurratam, eluere iterum aut eximere, nedum vindicare famam, auctoritatemque ablatam, ut non deceat quenquam hæreseos nota maculare, quam monitum, auditum, convictum, ac insuper incorrigibilem, velut nos Christus Paulusque docuit, & Ecclesia verior in usu habuit. D. Has pœnas luunt, qui insolita sectantur, ut vulgus varie excipiat, & criminetur etiam. T. Mihi cum vul-

go nulla res est, cujus desipere propriam,
 hoc potius explicemus, qui verioris pieta-
 tis studiosi tantopere fordeant veritatis ex-
 plicatoribus, ut nihil æque suspectum,
 infameque sit, quam esse bonum. Id
 scandali genus, quin maxime à Christo,
 & re Christiana abducat, nequiquam ne-
 gaveris; quid enim in melius proficiamus,
 si major pars aperte Satanae seruiat, minor
 Christo adherere per ipsos Christianos non
 ausit, nisi cum dedecore, simplices de-
 nique his tetriculamentis dissipentur, ut
 nesciant, ubi tute consistant. D. Hac
 tua exaggeratio est; at ego nemini ob pie-
 tatem abscissas aurículas vidi, aut præse-
 ctos digitos, quicquid declamites. T. Ego
 verò, mi Democides, hoc tibi firmum
 certumque velim, multos bonos inge-
 miscere, quibus profunda sunt inflicta
 vulnera & lethales immissi ictus, quic-
 quid illæsis, aut digitis aut auriculis, nec
 etiam Tyrannis semper adulta est, quod
 in Pontificis Romani incrementis evidens.
 D. Quæ tandem hujus mali causa? T. Di-
 cam quod res est. Collapsa Disciplina
 Christiana; quam quia negligimus, frustra

DE DISCIPLINA CHRISTIANA. 45

ex Religionis Christiane explicatione aut propugnatione remedium expectamus. Nam ut Medicinæ duplex finis, sanitatem in corpore humano conservare, eandemque amissam recuperare: Ita Theologia, quoad animæ morbos, eodem modo duplicem agnoscit finem, ostendit namque non solum, quomodo à peccatis liberemur, sed etiam quomodo in gratia conservemur. Itaque velut medicinæ praxis neglecta parum nos sanat, ita Theologiæ praxis hodie suspecta, minus Christiano corpori prospicit, minusque hujus seculi corruptelis it adversum, interdum perpetuis voluminibus concertamus, perbellæ res nostra curata videtur. D. Anne hæc tibi videntur? T. Neutiquam; fit enim rectissime, quod *ὀρθοδοξία* libris, disputationibus, concionibus & modis omnibus defenditur; sed & vita professioni Christianæ ut respondeat, opera danda est, ne multum ubique scientiæ, conscientiæ parum, verborum abunde, operum vix gutta undique appareat. Hinc ut multi Religionis Christianæ studio incallescant, ita plurimi vitæ Christianæ cu-

ra torpescunt, & ut plerisque sollicitudo, ne falsa doctrina invalescat, ita per paucis anxietas est, ne prava vita insolescat, denique ut omnes confessionem mordicus retentam volunt, ita vix decimus Evangelii professionem opere expressam satagit. Hoc faciendum erat, & illud non omittendum, ait Christus noster, scilicet loquendum cum Christo, & sentiendum cum eodem, credendum cum Christo, & faciendum cum eodem, ambulandum cum Christo, & perferendum cum eodem.

D. Videris tamen frigidius de erudita illa Religionis procuratione sentire. T. Repeto denuo, non rem ipsam, sed ab usum reitaxari, rectè fit, quod opera ac studium accuratæ cognitioni articulorum fidei impenditur: rectè fit, quod *ὀρθοδοξία* contra hæreses defenditur; modo in illis summa ac perfectio Christianæ Religionis non iudicetur consistere; modo etiam vitæ Christianæ ac charitatis habeatur ratio. Male vivitur: ubi de Deo non benè creditur; sed vicissim inutiliter creditur, ubi non benè vivitur: vera fides non est occulta: qui non ambulant in luce

DE DISCIPLINA CHRISTIANA. 47

lucē, nondum sunt filii lucis; Christiani non sunt, qui non Christiano dignam vitam agunt, quid quod nec diuturna esse potest vera Religio, ubi corrupta vita & caligo impuris poena data, ut nos Sacra docent. D. Quid igitur vis fieri à nobis nostrisque, quod non fiat, nam utraque hac manu opus Domini perficitur. T. Esto sane, nam & ingenia vestra suspicimus, & merita aestimamus, & toleramus vitam; modo nobis etiam impunè liceat Christum explicare simul, & commendare, imbibere, & exprimere, suscipere, & eo perfrui. D. Atque tute scis, quæ Satanæ fraus sit, ut tum maximè malus sit & formidabilis, cum Angelum lucis mentitur; itaque haut frustra metuunt Ecclesiæ curatores, ne vitæ probioris prætextus in sanam doctrinam improbior sit, quibus cuniculis pleræque Sectæ Religionis fundamenta suffodierunt. T. Admitto hanc sollicitudinem, si prudentia adsit, absit temeritas; adsit humanitas, absit supercilium; adsit charitas, absit livor; adsit emendandi voluntas, absit invidiæ aut æmulationis stimulus; adsit tandem integritas, absit versutia & duplex lingua

lingua. Nam & mihi suspecta est vita composita, incomposita religione, & mores Sanctulorum non incogniti, quum in fundo, nec ab ira, nec cristis, nec aculeis, nec quibuscunq; aliis nævis, immunes sint, quicquid faciem pingant. Itaque nihil opus est, hos tales à me abalienare, quos intus & cute inanes ac nihili scio, & Ecclesiæ cavendos prodo, dummodo non omne emendationis vitæ studium fastidiamus, comatum reprobemus, laudem insectemur; nomenque suspectum & seditiosum proclamemus. Quid non ii, quibus recta mens; Religio pura, voluntas optima est, sentiant, si ob hoc unum malè, & ab eminentioris notæ audiant, quod à vulgi impietate abeant, sermonibus sacris frequentiores interfint, ministros Dei familiarius conveniant, linguam sanctius custodiant, eleemosynas largius fundant, frugaliore victu & amictu utantur, terrena minus æstiment, incommoda vitæ magis compositè transmittant, cœlicum cibum, ipsumq; cœlum, avidius appetant, & tranquillitati undique studeant? Certe si hic Anabaptinus est, aut Schyvenckfeldianismus, vel

sugnil

Osian-

Osiandrinus, vita verò licentiosa, & omnibus vitiis polluta Lutheranismus? nãdum nimis liberales infamibus titulis sumus, rem ipsam Christianam prodigimus. Ego verò inverfis nominibus, hunc verum genuinumque Lutheranismum ajo, qui viri ad optimam conscientiam compositi, & igneo zelo flagrantis reformationem non mutilam, sed integram exprimat, qua non tam inscitix consultum, quam improbitati occursum voluit, nec minus Epicureismum expulsum, quam superstitionem explosum ivit. Ab hoc, quia abimus, hujus quia obliviscimur, & pro re ipsa umbram palpamus, mirum non est, & mutuo inter nos convitiisque proscindi, & hæreticis utrinque deridendos propinari. Nam hoc ambitiosum est Anabaptistis, Anabaptistam dici, quem nulla baptismi iteratio, nulla orthodoxæ Religionis convulsio, nulla vitæ licentia, sed regni cœlorum ambitus & mores compositiores impuriorebus laniandum objiciunt. D. Id otium Lutheri fuerit, ut qui tota vita armatus & fulmine coruscans, ad civiles mores respexerit. T. Me Christe, & serio & opere,

rose, ac summa industria id egit; cuius etiam interfuit, ne adversarii doctrinae suae morum dissolutionem merito exprobrarent. Hunc si audiremus, sique imitaremur, minus flagitiorum toleraretur, nec tamen disputationum, aut religiosorum exercitiorum foret minus; tritum illud audiremus; Non minor est virtus, quam quarere, parta tueri. Partis sunt Religionis cardines, utinam & retingentes simus; partae libertatis fores modo ne in licentiam degenerent; parta ingenii decora, non itidem genii pecora importentur. Summa est, nos de Luthero gloriamur, fortasse nos ille suos minus fateretur: vel ut magis cordatè proloquar, Christum jactitamus, quos ille nunquam pro suis agnoverit; ubi Christi continentia, abstinentia, sustinentia? ubi charitas, benignitas, affabilitas? ubi liberalitas, hospitalitas, humilitas? ubi fides, spes, preces? ubi afflictio, inflicio, derelictio? nempè ubi Persicae pompae, aut Vatiniana odia, aut Euclionis pessuli, aut Endymionis pulvinaria, aut Bacchi torcularia sunt? non equidem, sed ibi potius, contra quos brevia, bullae,
 exor-

DE DISCIPLINA CHRISTIANA. 51

exorcismi & anathemata maximè sæviunt. Pudeat nos nec Regnum Cœlorum intro-
 ire ipsos velle nec aliis id, quantum per nos
 fiat, permittere. Epulones, ludiones,
 harpagones, salaciones, thraſones ſufferi-
 mus frigidi; in abſtemios, ſerios, libera-
 les, pudicos, humiles inquirimus fervidi,
 veluti minoris periculi inter Sodomæ inco-
 las, quam Segoris hospites; aut Hieroſo-
 lymæ ſeditioſos, quam Pellæ transfugas vi-
 vere ſit, non certioris perniciæ. D. Ita-
 ne delicati eſtis martyres, ut nemo quic-
 quam veſtri improbet, adoretur omnia?
 T. Imò corrigantur etiam, ſed ſi viri eſtis,
 quin eadem alacritate regnantia vitia ag-
 gredimini, qua repentia, & tam frontem
 attollitis ſurſum, quam torvum deſpiciſtis
 deorſum; palpum illis, his alapam; mu-
 ſcum illis, his ſputum; obſequium illis,
 his jugum diſpenſatis; veſtraque
 dat veniam corvis, vexat cenſura colum-
 bas, quotquot ore religionem, corde
 regionem concupiſcitis. D. Deſeramus
 hanc altercationem, qua res noſtræ nihilo
 emendantur, & remedia aſpiremus. T.
 Ea in facili & proximo ſunt. D. Quid
 ais?

ais? an tui oblivisceris? T. Profecto in manu nostra est, hanc Deo operam locare, ut vitam rectius formemus. D. Nempe cum Ecstatis illis perfecte. T. Nunquam hæc vox ex me audita est, qui nostræ imbecillitatis probe conscius sum; sed minus tamen nequiter aut sceleratè, quod & leges nostræ exigunt. D. Quæ leges? T. Majorum nostrorum, quibus cultus Divini devotionem, ministerii reverentiam, Sabbathi sanctificationem, blasphemiam abominationem, impuritatis foeditatem, Magistratus obsequium, charitatis exercitium, œconomiam modestiam, victus temperantiam, aliaque Christianæ vitæ requisita ante omnia, supraque omnia nobis inculcarunt, quæ si eadem sollicitudine, quâ onerum, tributorum, redituumque rationes, aut litium, convitiolorum, jurgiorumve controversias, aut ludicrorum, ostentationum, pomparumque Impensas procuramus, enucleamus & exigimus, Christo nostro sisteremus & tueremur, dubium nullum est, minorem futuram Christiani Regni solitudinem; nec tanta Sathanici incrementa, quibus ferè præfocamur.

mur. D. Nihil agis? T. Hoc doleo. D. Nihil inquam apud præfractos mundi Ordines, qui vitiis nimis assuefacti sunt. T. Hoc dubito. Nam si tot impostoribus licuit suæ sectæ dogmatibus vitam popelli conformare, si etiamnum hodie ab Anabaptistis in oculis nostris præstatum id, quod vobis optare potius, quam sperare libet, mihi exigere id verius, quam expetere liceat, præsertim cum nihil à homine alienum postulem, ac omnino hominis Christiani officium requiram. Quæ enim heulandi, blasphemandi, litigandi, foenerandi, confingendi, scortandi necessitas est, aut quæ permissio, imò quæ non se vera prohibitio? D. Nec hæc nobis licent. T. Sed nec magni momenti habentur, aut cum leviculo convitio conferuntur, certè neutiquam eâ anxietate & severitate evitantur, puniunturve, qua decebat, & è re Christiana esset. Ita fit, ut dum Christi Præcepta vilescunt, Satanæ mundique decreta insolescant, nobisque palam imperitent. D. Querelas audio, nulla remedia. T. Nec ego is sum, qui mederi possim, opem tamen imploro. D.

Cujus maxime? T. Magistratus, siquidem velit esse Christianus. D. Quidni sit? T. Orandus est nobis Deus, ut Magistratus Christum vere concipiat, redoleat, & in omnia humanæ societatis vincula diffundat, id nisi fiat, nihil distabit à quovis Pagano aut Barbaro. D. Perge. D. Christum igitur si repræsentare is velit, scopum habebit cælum; regulam Evangelium; organa amicos Dei; tesseram charitatem; palladium honestatem: coronam pacem, præmium publicam alimoniam. D. Beatam Rempublicam somnias. T. At hanc præscribit Christus, invitat Ecclesia, præivere Apostoli, aspirant omnes Sancti & veri Evangelici. Itaque aut confirmandi; aut exorandi nobis sunt Magnates, ut ad hanc Christianam ideam accedant propius; quò enim Christo. erunt obsequentiores, eò nos vivemus coelo accommodatiores. D. Ergò sub Paganis non licuit esse Christianum? T. Omnium certissimè, ubi per ignem & aquam explorabantur, qui fide essent sinceriores: unde nec hodie magis experta fides, quam quæ angustiis probata, nec luxata lubricaque magis alia, quam

cui

cui ex humanis subsidiis confidentia. At longè aliud est, cum à Christianis Christianos requirimus, & Christianum Magistratum Christo archetypo adaptamus. Habemus Imperatores idololatrias, Christianis favos, habemus alios iisdem tractabiliores non religionis, sed innocentiae intuitu. Habemus Imperatores Christianos, Religionis negligentés, habemus alios ejusdem studiosissimos, non terrarum, sed cœli respectu, tantum interest, quo animo sint, qui ad clavum sedent. Non Principe erudito omnes scribunt? musico canunt? architecto struunt? bellatore pugnant? quidni etiam Christiano Christum plures resonarent, quam nunc mutiant, & decantarent multi, qui nunc sibilant? D. Iterum somnias. T. Profecto ita est: nam quoties expergiscor, redeo ad ululatus nostros, quibus inane nomen, Christianitatis speciem vel larvam ingeminamus. D. Quis hæc apud terrarum arbitros proferat? T. Ille, qui Moysen misit ad Pharaonem, Samuelem ad Saulum, Eliam ad Achabum, Danielem ad Belsacerum, vel si hæc nimis prisca sunt, Lutherum nostrum ad Orbis Europæ

ropæi capita, omnesque pariter Ordines,
 quibus officium inclamaret singulis, re-
 ctamque rationem ostenderet omnibus. D.
 Acquiescamus nos nostra felicitate. T. Et
 acquiescamus, & gratias Deo referamus,
 quantas concipere possumus maximas, at
 nobis non de uno climate, sed universo
 orbe Christiano sermo est. D. Quid tan-
 dem vis tibi? T. Ut quod agimus, agamus,
 quod credimus, credamus, quod volu-
 mus, velimus, quod abhorremus, ab-
 horreamus, nec perpetuum sit oris cor-
 disque diffidium. D. Semper intricas,
 nunquam expedis. T. Tu verò ad ea,
 quæ supra nos sunt, detrudis, ubi non
 facilis est explicatio. Maneamus humi,
 & quæ magis obvia sunt, tractemus.
 Nonne Urbis tuæ Magistratus, si DEI
 reverens, verbo audiens, conscientiæ
 memor, munerum negligens, pauperis
 observans, animæ anxius, cœli appetens
 sit, velut commune asylum & propiti-
 um sidus vobis omnibus affullerit. D.
 Da Deus talem, & serva. T. Nunc ali-
 um finge Dei irrisorem, Ecclesiæ ho-
 stem, officii obliviosum, calcantem con-
 scien-

DE DISCIPLINA CHRISTIANA. 57

scientiam, captantem munera, despicientem egentes, suspendentem animam, venundantem cœlum; nonne publica hæc pestilentia dici mereatur? D. Non lubet respondere. T. Quid lucri redundet ad rem Christianam sub illo vel hoc regimine, ipse dispice. D. Patet. T. Nec tamen sine lucro Christus est, quicquid pessime imperetur, qui suos sub flagellis coarctatos tutius habet, quam vitæ commodis lascivientes, interim nihilò minus amamus, appetimus, honoramus Magistratum pium & sedulum. D. Omnino præstat malo Magistratus bonus. T. Ita & mihi videtur; unde è re Christiana putem talem ubique constitui, qui cum Ecclesia plurimum consentiat, & salutem publicam incrementis pietatis & modestiæ metiatur, conscientiaque potius quam mundi scientia regatur. D. Ridiculum facis Magistratum. T. Ita sane, cui etiam DEUS & Angelorum chori arrideant, interim dum multorum sævitiam hic gemitus excipit, & fletus ibi, ejulatus stridorque dentium. Ita enim omnino credendum statuendum-

que est, hos maximè apud Deum excusatum approbatumque iri, qui remotissimi à mundi regulis abeant, illos minime, qui ad mundi placitum invito afflictoque Christo se conformarint. Ut igitur ornare Ecclesiam, nutrire alumnos ejus, cibare pauperes, erudire imperitos, dirimere lites, contempta hic officia sunt, ibi futura magnifica; ita spoliare templa, exuere Sacerdotes, deglubere nudos, fascinare popellum, serere rixas, politica facinora hic sunt, ibi execrabilia scelera auditura, ubi Christus ad tribunal suum sedebit, & in quem bona malave collata sint, commonstrabit. D. Satis sit Magistratum pietatis admonuisse. T. Hæc rei summa esto, ut cum Christo magis conspiret, consentiat, correspondeat, neque diversissimis à Christo utatur principiis aut maximis, quod sæpè fieri videmus, aliquin nunquam non pessundatum iri Ecclesiam. D. Meminero, D. Et quæ Deo adversaria, non minoris faciat, quam quæ hominibus contraria. D. Recte, nunc quid porro velis, mone. T. Quid

DE DISCIPLINA CHRISTIANA. 59

Quid opus est, nam omnia optimè curabit Magistratus Christianus, ut prophanus omnia pessimè. D. Sed & sub illa quæ desideres, non deerunt. T. Optabimus igitur censuram, quam alicubi vidi. D. Et nobis censura est. T. Bene habet, recteque instituta ea est in præfractos & desperatos, itaque inter nos rarior. Hæc quam volo, mitior, tempestivior & frequentior est. D. Eam obsecro, explica. T. Libenter, nam ejus memoria mihi honorifica est. Eliguntur ex omnibus civibus vicatim viri integræ famæ, & alicujus si fieri possit, autoritatis, qui vici sui seu vicinitatis inspectionem & curam habeant. D. Oportet multos esse? T. Omnino. Sunt enim bini aut terni unius vici, ad quos defertur, quicquid in propinquo peccatur. D. Quid illud? T. Si alea ludas aut chartis, improbum verbum proferas, impurè canas, familiæ obgannias, aut rixis molestus sis, laborem subterfugas, vel conjuges ipsi dissideant, familia dissoluta, liberi contumaciores audiant, aut quæcumque aliæ sunt hujusmodi domestica verrucæ, his omnibus

bus datur dies hebdomatim, ubi moneantur, objurgentur, mulctentur quotquot proximis diebus deliquerunt. Sed & ipsi Censores tacite observant, quæ cujusque ædis pietas, sobrietas, modestia & labor sit, ut habeant, quod laudent & vituperent. Hinc duo bona, ut & ipsi Catones omne scandalum, exprobrationemque evitent, ac ad censoriam dignitatem aspirent, quæ ambulatoria est. D. Itane hi omnia expediunt? T. Non possunt; deni ergò, ni fallor, Decurionem habent, ad quem graviora, & enormia magis referant; si nec hi sufficiant, ad Magistratum res devolvitur, quod ut gravissimum est, ita omnibus modis abhorretur & vitatur. Est enim Decurionum conventus spectabilis & formidabilis ex viris senibus, gravibus & incorruptis, à quibus increpari dedecus est. D. Ingens compendium ais, ut nec Magistratus levioribus delictis obruatur, nec ædium incommoda accrescant, aut differantur. Sed an rectè hæc res curatur? T. Felicissimè, ut ego quidem ad ædium compositionem obstupuerim! abominationi est blasphemia, pudori ebrietas, dedecori

DE DISCIPLINA CHRISTIANA. 61

dedecori alea, infamiae rixa, ignominiae
torpor, periculo lascivia, atque omnino
cuncta vitia culpae sunt, virtutes laudi. D.
Laudo. T. Confer nunc cum hac disci-
plina cauponas nostras, circulos, conci-
liabula, & hujusmodi Christianae vitae de-
decora, & neglectae disciplinae testes, quae
ibi blasphemiae, vomitus, lusus, jurgia,
ronchi, petulca & inquinamenta alia fre-
quentia, quotidiana, perpetua. D. Ob-
stant leges. T. Cur non prohibent aut
evitant; lex enim ludibrium est, ubi non
est legis obsequium. Si quid possunt le-
ges, coerceant hanc dissolutionem &
approbavimus. Vides nempe nos legi-
bus optimis formari, & administris pes-
simis deformari, & quae deceant scire
quidem, facienda verò aliis relinquere. D.
Itane Legum Custos nemo superfit? T.
Jam paratus eram occurrere huic hæsita-
tioni. Agnosco equidem pios, prudentes
& sedulos Legum curatores quam pluri-
mos, sed temporum vitio, antecessorum
sordida, hominumque flagitio, adeo ma-
la invaluisse, dolendum est, ut sæpe reme-
dio locus non sit; & succumbant citius

optimi conatus, quam tantillum emove-
 ant, nam quia in immensam molem ex-
 crevit vitæ Christianæ corruptio frustra
 unus paucive hoc stabulum à tot mille
 boum inveterato fimo repurgare satagent,
 nisi Hercules aliquis Christianus exoria-
 tur, qui ut olim Religionis, ita nunc vitæ
 integritatem restituat. Nam à vertice ad
 calcem laborat corpus Christianum, ve-
 lut olim Hebræum ante interitum suum,
 quod & illi metuendum est. Interea, ut
 in populo Dei pii aliqui à publica idolo-
 latria & dissolutione abstinentes, priva-
 tim se Deo crediderunt, resque suas in-
 stituerunt innocentia; ita nostri officii erit,
 derelicta hac confusione minus Chri-
 stiana tacite Christum nostrum re-
 vereri, palam exprimere, atque idem
 nostris inculcare, ne temporum li-
 centia licere sibi putent, quod omni tem-
 pore a Deo alienum fuerit. Hoc ergò
 scutum quisque pius Magistratus sibi ap-
 plicabit, ut tantisper officium cum Deo,
 & optimis legibus faciat, donec vi, aut
 impossibilitate prohibeatur. Cæterum
 multa piis precibus, prudentia, sedulitate,
 integri-

DE DISCIPLINA CHRISTIANA, 63

integritate & severitate obtineri etiam-
num possunt, quæ profana, tumultua-
ria, socordix obnoxia, & dissoluta vita in-
tercidunt. Faciamus, quicquid Deus sug-
gesserit & exegerit: nam qui velle de-
dit, dabit & posse. D. An nullæ etiam
Sacerdotum partes sunt in Christianæ di-
sciplinæ restitutione? T. Sunt utique, sed
& illi ipsi reformatione maxima indigent,
de qua quidam verriculum Clericorum,
pium juxta & accuratum confecit, de quo
aliquando in aurem tibi, non enim expe-
dit Ecclesiæ ulcera prostituere canibus,
qui exinde impietatem suam obfirmant,
doctrinæque innocentiam allatrant. Hoc
ergò fideles Christi servi agant, ut pœ-
nitentiæ evidentiam magis sollicitè ur-
geant, & epuli divini dapes frugalius
dispensent; nam utrinque hic enormiter
peccatur. D. Peccatum ais? T. Fate-
ndum est, quis enim credat pœnitere eos,
qui confessuri nesciunt, quid dicant,
quid fateantur, quid velint: imò quod
dicant, fateantur, velintque nesciunt?
D. Horrenda loqueris. T. Sed vera; quis
eos pœnitere credat, qui confitentes nul-
lo

lo peccatorum sensu tanguntur, afficiuntur, anguntur, cruciantur, imò peccasse ambigunt, negant, renituntur? D. Cre-
damne? T. ita est. Quis eos pœnitere credat; qui confessi nullo resipiscentiæ proposito, conatu, specimine, perseverantiâ elucescunt, imò delictorum continuatio-
ne, augmentis, jactantia indurescunt? D. Lapides loqueris. T. Sed vocales ali-
quando; quis eos pœnitere credat, qui manducaturi supercilium, gulam, den-
tes, ungues, renes, soleas pollutas cruen-
tasque & afferunt, & offerunt, imò sub spoliis & præda Christiana onusti nutant?
D. Enecas me. T. Memineris. Quis etiam eos pœnitere credat, qui pasti status
immunitate, generis beneficio, consue-
tudinis usu, temporis exercitio, superio-
rum exemplo, Ecclesiæ conniventia, pec-
care se nesciunt aut dissimulant, ubi ma-
xime peccant, quis hic dicat omnes tales
pœnitentiam agere, aut nos illam crede-
re; aut quis dicat utri stolidiores; an im-
prudenteriores? Nam sint licet, quibus pro-
mittere, quod in animo nunquam habue-
ris, & apud Christum deponere, minutum
sit,

DE DISCIPLINA CHRISTIANA. 65

fit, non nostrum sit, tantulumque videatur tam absonis & perfidis verbis habere fidem. Sin nihil ejus rei credimus, ut suspicio est, etiam malorum continuitas evincit, ne etiam prodigamus misericordiam divinam, ubi sceleratos & pertinaces citius, quàm resipiscentes nostra incuria fecerit. D. Itane conscientiiis imperitabis? T. Absit, sed manifestæ, convictæ & incorrigibili impietati occurram, cui aliqui nimis fortasse faciles sunt. Vide mihi per Deum immortalem hodierni temporis rapinam (nam usuram dicere nimis propitium est) quam monetaria confusio invexit, atque uno hoc propemodum conscientiam omnem & charitatem subvertit, omnia commercia corrumpit; officinas omnes enervavit, omnem disciplinam laxavit, omnia triclinia exhaustit, quale facinus nulla gens effera tam tumultuariè & sine modo unquam commisit. Hic si ex tali publico furto, etiam sacrilegio, opulentum, atque uno anno aliquot talentis scelerate ditatum, & exuviis proximi tumide involutum poenitentem audias, nihil verò ejus rei videas aut spes,

res,

res, valdè credulum te esse oportet, si serio hunc admittas, aut insignem dissimulatorem, si per lusum transmittas. Quin igitur ad suas prædas relegas & prædones, dum certo respiscat, quam vel imponis tibi, vel illudis Deo, præterquam quod offendis Ecclesiam & sceleribus abblandiris, fecus quam Christus edocuit. Sed omnino offensas pinguiorum metuis præ ira Dei, & cuticula tuæ times, si seculi & secularium vitia increpes. Hic Paulo Ambrosiove opus est, aut qui nobis sufficiat, Luthero; qui cætera indulgentissimus ac humilimus, tamen in Dei causa immobiliter restitit, neque cessit una hora. Nempe non coercebimus illos, non corrigemus? sed nec ipsi absolutionem à nobis impetrent, res suas sibi quidem habeant, at nostras, quæ verius Dei sunt, nobis relinquunt, neque cum tot spoliis divinas nobis gazas suffurentur. D. Quæ hæc confusionis materia foret? T. Jam ante huic rei prospectum, ne quis hoc temerè, aut ambitiose, vel importune etiam faciat. Habet enim conditiones suas, gradus, tempora, ordines, neutiquam vel præcipitanda vel permiscenda.

DE DISCIPLINA CHRISTIANA. 67

miscenda. D. Satis est; nunc quid
 Sacrae communionis frequentiam tur-
 bet, explica. T. Non certè usus fre-
 quentia, sed infrequentium multitudo;
 nam qui vix semel integro anno, aut veri-
 us tota vita Christum esuriunt, ubi velut
 conclamatur, catervatim confluunt, &
 sine contritione fideque, ac exinde nullo
 emendationis proposito panem Domini-
 cum depescunt. Atque is, ut magis se-
 riò expetendus, ita longè circumspectius
 distribuendus nobis foret, si institutum
 Christi & Ecclesiae exemplum pensulati-
 us adhiberemus. Hic enim, aut nun-
 quam, segregare licet devotos à propa-
 nis, exploratos ab adventitiis, tractabiles
 à præfractis, quantum quidem (ut semper
 me præmuniam) nostris oculis datum, cu-
 raeque injunctum est, nam penetralia cor-
 dis scrutari Deo uni relinquimus, dum mo-
 do nos à fidei dispensationis mysteriorum
 Dei cura non subducamus; nam quid hic
 prætermittatur, & ego scio, & alii, quot-
 quot Ecclesiae maculas lugent, fatebuntur;
 quid verò quod hic etiam ab optimo Præ-
 ceptore Luthero abimus, quem alioquin
 sem-

semper obtendimus? Referam ejus verba, de quibus, quod videatur, cogita. Ubi de examinandis communicaturis agit, subjicit: Demnach so der Bischoff siehet / daß sie das alles wol verstehen / soll er weiter auff das acht haben / ob sie auch dergleichen leben / und mit äußerlichem Wandel in Sitten / solchen ihren Glauben und Verstand beweisen / dann auch der verfluchte Satan die Dinge alle fast wol verstehet / könts auch wol heraus reden: Nemlich / so er siehet / eine Zure / einen Ehebrecher / einen Trunckenbold / einen Spieler / einen Wucherer / einen Lasterer / oder sonst mit andern öffentlichen Lastern verleumbdet / den soll er zumahl ausschliessen von diesem Abendmahl / er beweise dann mit kundtlichem Anzeigen / daß er ein solches Leben gewandelt hätte. Paulò post, ubi imbecilliores excusavit, suadet, ut communicaturi loco separato & conspicuo statuantur, velut qui publicè testentur, eos esse qui Spiritus S. gratiã emen-

DE DISCIPLINA CHRISTIANA. 69

emendationem promittant, & Ecclesie notandos se sistant. Dann solche gemeisne Speisung (inquit) dis Abends mals ein Theil der Bekänntniß ist/ dadurch man für Gott / für allen Engeln und Menschen sich bekennet Christen zu seyn. Jam tute animo reputa; justus ne meus dolor sit, ob promiscuam illam turbam, quæ certis solennitatibus concurrat, & mensam sacram polluit verius, quam peccatis abluitur. Nolo verò alios testes aut judices, quam qui inter Faunos Satyrosque sylvestres versati, ac Cyclopes civicos etiam experti, hæc talia exactius animadverterunt. Quæ itaque spes disciplinæ Christianæ esse possit, si in hoc tremendo actu illorum temeritas, nostraque conniventia concurrant, nec uno molimine corrigi hæc res depravata valeat, ut denuò optandum sit, in hanc curam quam plurimos excitari, & velut Comitia convocari, cum, quæ adversum adhibentur remedia, debiliora sint, & depressiora, quam mali vis & publica jactura exigat. Scio enim laudoque & Synodorum zelum, & Inspectorum sollicitudinem,

tudinem, & vigillum fidelitatem, tamen ubi debilius est Pontificum pedum, quam Tribunorum, Prætorumque fasces & virgæ, ubi gehennæ quam carceris minor metus; major curiæ quam cœli æstimatio; ubi Thraſonis, quam Curionis vox formidabilior, succumbendum est, niſi ſuperiore aliquo præſidio roboremur. Id verò vix velle videretur Chriſtus, qui Regnum ſuum orando ſufferendoque definivit, & ad tyrannorum pedes veluti abjecit, niſi interdum ſub bonis Principibus florentiorem faciem oſtendiſſet. Unde nobis nec terrenam expetere vim, aut aliquod dominium fas, nec tamen de omni compoſitione diſciplinæ, ſi Patriæ Patres illuc aſpirent, deſperare neceſſe eſt, ſed ut Davidis, Salomonis, Ezechix, Joſixque tempora Hebrais optata fuerunt, ita nobis tales noſtri optandi, memorandi & honorandi omni vita veniant. D. Tu Eccleſiæ reformationem urges, cum vix ipſa inter tot cædes, cladesque ſuſſiſtat, & Anti-Chriſti jugum ſubterfugiat. T. Nunquam Eccleſiæ ab externis hoſtibus plus damni datum, quam internis proditoribus

DE DISCIPLINA CHRISTIANA. 71

ribus aut corruptelis, omnibus flammis & stagnis superstes conflagrat suo aestu, & pollutione mergitur. At nos miselli religionem armis propugnamus, quæ vix aliqua apud nos superest, & sanguinem pro religionis larva fundimus, qui sanctius veriori impenderetur. Caterum quod jam sæpe inculcatum est tibi, meminisse oportet, non religionis confessionem nostram, sed professionem in dubium vocari; nec dogma sed pragma desiderari; haut etiam errantes sed perseverantes increpari. Hic ergo, hic metuendum est, ut parum auspicata sint arma, inutiles phalanges, noxii præfidiarii, cum his moribus virisque citius tartara extruantur & firmentur, ne dicam oppleantur, quam cœlorum Regno unica fiat accessio, latronibus vitam, mœchis pudicitiam, voraginibus abacos concedimus; quidni pietatem etiam profligatæ mentis stratiotis? itaque ut nauseam mannae coelicæ, punit Deus panis quotidiani penuria, ita Religione exulante hos bellicosos nullius religionis athletas alere atque saginare æquissimum est; quibus tam datum promptumve servare rem Christianam,

nam, quàm zelotis illis apud Josephum executioni destinatam Hierosolymam. Christum si deseramus, parum intererit, sive ore bestiae laniemur, sive à nobismetipsis discerpamur; Christum si possideamus, in medio inimicorum triumphabimus. Satis jam ante laxata sunt humanæ societatis omnia vincula, si ita pergamus belligerari, dissolventur penitus. D. Profectò nimis morosus es: illis hastæ, tibi pedum curæ esto, aut ensis illis, tibi calamus. Habet quisque quod agat, etiam de quo respondeat. T. Sionis causa, ait Esaias, c. 62 non cessabo, Hierosolymæ causa non quiescam, quin exeat, ut splendor ejus justitia, ejusque salus tanquam fax ardeat: Et Jeremias c. 20. ad DEUM: si te deinceps non commemorare, neque tuo nomine loqui cogito, est mihi in corde quasi ardens ignis, in meis conclusus artubus, quem laborans continere nequeam. Et David Ps. 40 Justitiam frequenti conventu prædico, labra mea nequaquam continens, ut tu Jehovah scis. Et Lutherus: *Hie stehe ich / ich kan nicht anders / Gott helffe mir.* D. Et alia horum ratio fuit, alia vocatio, alia dignitas. T. Sed

DE DISCIPLINA CHRISTIANA 73

nec hæc causa à quantillo homine agitata, negligenda est, etiam delirantes nonnunquam admovit Deus, ut admonerent Sophos. D. Bene habet, si agnoscas delirium, alioquin vel difficilis, vel curiosus, vel scrupulosus, vel ambitiosus, vel inquietus, auditurus. T. Cur nullum commodum verbum in mentem venit, potuisses immiscere vel sollicitus, vel informationis etiam avidus, si devotum minimè credis. At ego Deum inprimis precor, ut vana sit, aut superflua mea sollicitudo, dein omnes candidos bonosque oro, obtestor atque per Christum ipsum conjuro, ut meliora certioraque edoceant, meis verò addant, subtrahant, misceant, excutiant, quæcunque è re Christiana videbuntur, dummodo cum fastu aut præjudicio tranquilla & obsequentia omnia sanctè pollicentem non abjiciant. D. Ægrè id obtinebis. T. Fortassis. Ego verò Lutheri comœdiam sæpè animo recolo, ore rumino. Is, cum primum abusus tantum Regni Pontificii tangeret, non æquos habuit, quos ipse elegerat, judices, adversarios verò virulentissimos,

D

tissimos,

tissimos, ne tamen illis invisos. Miratus rei indignitatem placare contendit exacerbatos iudices, cum hostibus etiam, si fieri posset, paratus transigere. Cum iterum nihil proficeret, humiliter precatus veniam, pactus quoque silentium, tantum verbo Dei libero. At frustra hæc omnia irritato semel Satana explicatisque hujus omnibus machinis, quas dum exactius speculatur Vir Dei, abominari magis, prodere simplicibus, aggredi audentius incipit. Et tamen non sine trepidatione, ne membrum capiti, filius matri, alumnus doctoribus, peccator sanctis, unus omnibus, obloqui videretur. Cumque mera tyrannide, fraudibus & calumniis responderetur, fretus Deo, optimaque causâ, dediscere cœpit vanum metum, abjicere reverentiam, induique eo ex alto robore, ut omnes tiaras, coronas, infulas, cucullas & liripipia, mascule calcarit, nullo suo supercilio, sed divino impetu. Tantum profuit non potuisse in gratiam redire cum Synagoga malignantium, & invitum fuisse in arenam protractum. Reconciliari voluit

DE DISCIPLINA CHRISTIANA. 75

luit ipse, sed Deus everti hos maluit, quos decebat sua turpitudine magis magisque prodi. Cedere loco voluit, & obmutescere; at Deus pugnare veritatem & vincere maluit, quæ diu suppressa jacebat. Hoc recens & memorabile exemplum, quin omnes sibi proponunt, quotquot optimè sibi conscii implacabiles & iniquos Mundi Satrapas experiuntur. Audendum cum Deo, ubi ille stimulat, prodeundum cum Deo, ubi ille protrudit. D. Hem classicum canis, ubi nullus hostis. T. Imo pacem occino, cum Deo, conscientia & fratrum contubernio, fanciendam & excolendam. D. Tu, si sapias, hanc rem aliis commiseris. T. Neque me certe ingero, neque has mihi difficiles partes sumo, quod Deus novit, cæterum interroganti respondendum fuit, provocato prodeundum. Quid porro futurum faciendumve sit, Deus viderit. D. An nihil nobis ab iis, quos hæc ætas Internos vocat, præsidii? T. Vix alibi plus periculi; itaque ad hoc nomen ut sanctum, & Paulinum, propemodum cohorresco; quoties tot fraudum & impo-

D 2 stura-

sturarum in mentem venit; nam qui omnia
 ulcera carpunt & exagitant, ubi remedia
 poscimus, nil nisi fumos & vertiginem
 supponunt, tædet monstratorum dogma-
 tum, fictitiæ perfectionis, dissimulati sco-
 pi, variegatæ vitæ, austeritatis arbitrariæ,
 sibili mordacis, supercilii profundi, stili
 intricati, visci liberalis, armorum invisibi-
 lium, charitatis promiscuæ, humilitatis
 intolerabilis, abstinentiæ saturæ, stuporis
 sagacis, reformationis informis, quibus
 melioribus subrepunt, integrioribus im-
 perant, & devotioribus imponunt; un-
 de illis in summa sanctitate nulla religio,
 stabili sede nulla quies, omniumque deser-
 tione insatiabilis cupido est, & orbis ter-
 rarum non aliter, quam minus ad arbitri-
 um circumactus vel agendus. Has exclu-
 dere hirundines non artis tantum, sed &
 cordis est, cum Christum maxime crepan-
 tes, Christum minime referant. Has odisse
 noctuas non sagacis tantum, sed experti est,
 cum recta volantes rictus objiciant. Hos
 pellere fucos, non frugalitatis tantum, sed
 & pie-

& pietatis est, cum mella promittentes, fella propinent, alveosque Christianos nostros turbent & depascant. O internum figmentum & internum pigmentum, quam Ecclesiæ sanctæ illudis! ut qua parte ex cœno emergimus, denuò suffocemur. D. Nemone melior hanc causam agit? T. Aliqui, sed de quorum Religione & Consiliis minus explorate constat, unus præ omnibus mea quidem sententia, meritis & scriptis eminuit, vir quondam optimus, nunc Beatus Joh. Arndes, quem mecum multi boni & rerum intelligentes venerantur. D. Atqui non minus multis displicet. T. Scio & miror, Viros magnos in eo hæsitare, etiam aliqua desiderare, nonnullos accusare hæresin, sed quam nec me, nec longe oculatiores alios deprehendere posse, plane incomprehensibile est. Nam cum hos actores nec livore tangi, nec imperitia falli, nec præcipitantia abripi credere fas sit, quos plurima didactica commendent, superest, ut reum audirem, in quo nullam omninò culpam, contra verò magna in Ecclesiam Christi merita re-

perio. D. Quid igitur faciendum censes?
 T. Cum incomparabili Theologo Johanne
 Gerhardo, optime de Viro innocentissimo
 & doctissimo sperandum, cujus Religio, in-
 tentio sanctissima, labor felicissimus in
 Domino fuerit, quive mundi glaucoma
 quam plurimis absterferit. D. Satisne tu-
 to? T. Tutius quam contra publicas, eas-
 que irreprehensibiles Apologias alienam
 conscientiam onerare, servum Dei & Ec-
 clesie conspicuum Episcopum judicare,
 turbare devotiores, & confortare dissolu-
 tos. D. Credamne recte gratuitam Dei
 misericordiam, Christique justitiam nobis
 imputatam, & fidem illa amplectentem
 docuisse, non nimium tribuisse operibus
 aut exemplo Christi? T. Sexcenti sunt
 apertissimi loci, qui hoc evincant. D.
 Quid verò opus fuit ex veterum obsoletis
 lacunis novam veluti Theologiam eam-
 que allegoricam extrahere. T. Sobriè hoc
 fecit, ut qui nec priscam dedignare sancti-
 moniam, spiritumque, nec hodierni se-
 culi genium & ingenium retundere volue-
 rit, quod utinam imitarentur, quibus nil
 ai-

nisi rancidum & olidum, quibus etiam nil nisi novum & musteum placet. Non sic Majores nostri, qui antiquitatis testimonium etiam minus sapidum & concinnum non abhorrentes, renatae luci omnia contulerunt & coaptarunt. Si tam foetent prisca, & olent hodierna, mirum non est etiam Lutherum, Melanchthonem, Brentium obsolescere, quibus superior aetas Pontificis jugum subolens in pretio fuit. Sed malum te audire Danielem Dilgerum, candidum Dantiscaenum Theologum, qui nisi omnia, fallant, plurimum mitigabit. D. Scis, quid te velim? T. Ex te scivero. D. Ut qui me hodie prandio accepisti, nunc ad coenam admittas. T. Nihil minus difficulter impetraveris; sed tu memento, ut olim compatorem, ita percunctatorem memorem exosum esse, nimis multa respondentem, optanti, dolenti, dubitanti, inquirenti, perferenti exciderunt, quae quia dicta sunt, indicta ut sint; dici non poterunt. D.

Meo periculo. T. DEI umbraculo.

DIALOGUS III

De

LITERATU-
RA CHRISTIANA,

ILLUST. PRINC. D.

FERDINANDO
ALBERTO.

D. B. & L. Sacer.

THEOPHILUS DEMO-
CIDES.

D. Nunquam certe poenitebit hujus
• coenæ, nunquam subibit oblivio,
adeo me abripuit adolescentulorum tuo-
rum capacitas. T. Crede mihi, neufi-
quam tanta est talium capacitas, quanta
nostra tenuitas, vel ariditas verius, qui-
minus in eos fundimus aut conferimus,
quam ferendo essent. D. Imò metus po-
tius

DE LITERATURA CHRISTIANA. 81

tius sit, ne nimis obruamus, & nimia institutionis mole suffocemus. T. Planissime fal-
leris, ut qui & hujus methodi facilitatem
ac veluti otium, ignoras, & operæ alienæ
fatigationem nondum agnoscis. Nam
ut hi dimidio minus discunt, duploque sci-
unt amplius, ita alii discunt plus duplo,
minus dimidio sciunt. D. Oedipus eris
aut ipse Apollo, si hoc ænigma probaveris.
T. Atqui nimis hoc probat cum publica
rei literariæ inopia, tum rarioris alicujus
peritiæ admiratio. Sed hujus mali causas
vel culpam tangere non tutum est. Scio
enim quam sint quidam difficiles, quoti-
es vel minutum aliquid in iis desideratur,
ne dicam improbetur, & quam rei litera-
riæ metuant, si quis eos literarum aptos
doctores dubitet. Itaque alios sibi relin-
quere certum est, nostra nobis reservare:
utri profecerint magis, palmam habent.
D. Cautè! excellentiora ingenia tibi feligis.
quibus superbias, dum alii fungi stipites,
que & varia fex hominum formanda relin-
quitur. T. Esto, rariora mihi esse inge-
nia: at dolendum est tot alibi nobiliora &

selectissima, rerum discendarum farragine
 absumi hebetarique, quæ capiendis rebus
 exquisitissimis apta fuissent. Sed omninò
 hanc movere Camarinam non lubet. D.
 hoc tamen rei communi debes, ut quid re-
 ctius fieri possit, candidè edifferas. T. Feci
 id & dudum & sæpius, ac integerrimo ani-
 mo: sed major est eorum, qui callum ob-
 duxerunt, surditas, quam ut inclamari
 possint; pertinacia imprudentior, quam ut
 emendari velint; impatientia virulentior,
 quam ut conscientia admoneri sustineant.
 Ita que res suas denuo sibi habere volo, quas
 Deo aliquando & posteritati probent. Ne-
 que tamen insolitum hoc nobis videri de-
 bet, cum ut optima quæque pessime cu-
 rantur, ita etiam literaturæ minus recte u-
 bique prospectum sit. D. Potesne ferre, ut
 tuam explorem didacticam, si minus placet
 reformare alienam. T. possum, ac tuum
 etiam sustinere risum, quem subsequutu-
 rum scio. Atqui non mea est, nec nova,
 nec secreta aliqua, sed passim bonis com-
 munis, prisca, vereque Christiana, &
 quam publicam esse expediat. D. Nimis
 libera-

DE LITERATURA CHRISTIANA, 83

liberalis es & facilis. T. Utinam vos admittere eam, vel in timore Domini examinare, non difficiles sitis! D. Loquere audacter, apud me omnia placita sunt. T. At ubi ad literarum centuriones & decuriones veneris, mutaberis in alium virum. D. Tum tibi bona fide referam, quam propitios aut inclementes tibi repererim. T. Fidemne das? D. En dextram! en fidem! T. Cave imponas, vel imponatur tibi. Est enim id genus hominum stilis & bile formidabile, sed ego me explicare accingo. D. Rectè facis, audire gestio.

T. Fundamentum rectioris disciplinae, sive Christianae, ego Pietatem statuo, summam & scopum totius rei. D. Plebejrum hoc est & nobiscum commune. T. Falle-
ris, Non enim illud perfunctorium pietatis studium intelligo & extraordinarium, quod inter parerga multis numeratur, sed perpetuum, solenne ac principale, quod omnem vitam comitetur & occupet, juventutemque totam imbuat. D. Monachos fabricas. T. Sine sic sit, ego Christianos formare satago, & huic rei juventu-

tem adapto velut fini præfixo & unico, id nisi impetrem, omnem operam perdidirim. Nam quia vita, viaque hominis redire ad Deum, à quo digressa est, debet, eique omnia nostra impendenda sunt sollicitate, id autem juventutis formationi & institutioni potissimum incumbit, hoc maxime inculcandum est teneræ ætati, ut Deum Opt. Max. colat sincerissime, non externis tantum & ad speciem devotionis compositis gestibus, sed intimo cordis affectu, quem penitus introspiciat & judicet Deus, quem nulla simulatione falli, nullo ficto obsequio conciliari ejus amorem posse credat, ut qui noverit omnium mentes, oderitque hypocritas, amantes redamet. Quomodo autem ipse amari vel coli (idem enim utrumque est) mandatorum suorum accurata observatione velit, non tam domestica cura, quam Præceptorum fidelitas edocebit, per Verbi Divini studium, lectionem assiduam & piam meditationem, quod præcipuum studium constituendum est. D. Tragice ordiris. T. Prævideram risum tuum. Ego vero hoc denuo affir-

mo obfirmoque, sacras literas veluti pietatis semina juventuti inferendas, familiares reddendas, memoriæ concredendas, iudicioque explicandas esse, ut & res Dei Sanctorumque gesta potius quam Æneæ fabulas, aut Ovidii metamorphoses sciat, & sacras gnomas certius quam Virgilio versus in numerato habeat, & hymnis spiritualibus Deo, quam obscœnis carminibus Veneri frequentius litet, denique Christianæ Religionis veritatem, quam paganæ inanitatilencium firmiter imprimat, quod cum omnibus adolescentibus, tum iis maxime conciliandum foret, qui omnem suam operam & vitam Deo Ecclesiæque dedicatū sunt, & plus sæpe profanæ eruditionis quam cœlicæ scientiæ, (ne dicam interdum neutram) sacro muneri adferunt. D. Equis elegantioribus literis locus erit, si omnem ætatem sacris absumas? T. Imo & hæ elegantissimæ sunt, & exteriorum etiam cultum admittunt; quod nos Erasmus, Vives, Melanchthon, Sabinus, Fabricius, Castellio, Buchananus, alique Viri doctissimi edocuerunt. Sed malum

mus prophana ingenia admirari, ut com-
 planatior Satanæ sit, impeditior Christo,
 ad nostram juventutem aditus, nolumus-
 que eam spiritualia magis quam carnalia
 sapere, ut cum quo omnem ætatem con-
 flictentur, non careant. Atqui magis ne-
 cesse fuisset, præmunire innocentes serio
 Dei sermone, quam imbuere aut inescare
 Ethnicorum blanditiis aut illecebris, atque
 omninò revocare ad Christum, quam pro-
 dere aut exponere mundo consultius. Tu-
 tius fuisset, excolere conscientiam, quam
 exporrigere frontem, laxare linguam,
 acuere stylos in rei Christianæ perniciem.

D. Ferendus es, cui semel facta dicendi co-
 pia; sed quid porrò vis? **T.** Ut, quod Phi-
 losophi multo sudore quærebant, Viri boni
 officium, nostri tantum in Christiani offi-
 cio scrutandum esse discerent, idque & sci-
 re & agere præ omnibus studerent; satis fu-
 turi boni, si vere Christiani, tanto vero sem-
 per pejores, quanto illud minus. Arduas
 autem Christiani partes esse meminissent,
 nec humanæ quicquam dulcedinis, nec
 gloriam, sed contemptum, pro stipendio
 habere,

DE LITERATURA CHRISTIANA. 87

habere, quod tamen cuivis hujus mundi fastigio præponendum. Unicum in super ad hanc vitæ rationem ineundum stimulum admitterent, amorem timoremque Dei, quem accendat Spiritus S. ardentibus & indefessis precibus exoratus, unde præclarissima illa dona, fides, charitas, spes, patientia, humilitas, propriæ Christianorum, & aliæ innumera virtutes, excellentia verò in sui mundique contemptu impetretur. D. Nihil hic literatum audio. T. Non negligentur ea, dummodo discant, quæ honesta ac scitu digna, verum ita semper ad normam Christianarum legum accommodent, iisque utantur ad servendum Deo, benefaciendum proximo, tuendam vitam, famam, bona; si quid aliud emolumentum conspiciant attulisse quibusdam doctrinam, despiciant, nec ad illud adhibeant. Nunquam enim ars ulla tanta fuit, quæ non inanes istas spes tandem frustraverit. D. An artes etiam Christiano periculosa? T. Nihil omnino, si Christo potius concilient, quam Adamum insent, aut cothurno elevent. Illud si agant, amabiles

biles, hoc si audiant, formidabiles sunt. Nonne verò si Christus nos humiles abjectosque velit, artium verò abusus ad famam, ostentationem, gloriolam invitet: Christus placidos exigat; hic biliosos, aculeatos, insolentes reddat. Christus Columbinos petat, hic argutos, lubricos, versatiles efficiat: Christus abstinentes sustentantesque esse jubeat, hic avidos, tumidos & rigidos formet: Christus verecundos optet, hic salibus, salacitate & procacitate impleat: Christus credentes vocet, hic obloquentes, disputantes, hæsitantes opponat: Christus sanctos suos commendet, hic fana, idola & deæstros omnes crepet, minus ad regnum cœlorum conduxerit? Sin verior usus Christo recte seruiat & subsistat, omnia hæc arcebit potius & cordibus evellat, quam implantabit, ut Paulus haud frustra innuerit, inflare scientiam, charitatem verò ædificare: cum tamen & ipse literatissimus fuerit, & artes rectè Christo subjecerit, ejusque cruce temperarit. Quod exemplum sequuti Ecclesiæ primævæ antistites, omnem eruditionem ad Christum

repu-

re-
 purgarunt adaptaruntque, quod ad Am-
 brosum, Hieronymum & Augustinum
 usque Viros in omni literatura ornatissimos
 perduravit; quod etiam Lutherus noster
 cum parastatis eruditissimis reducere omni-
 nisu & industria sategit. Nam cœlo de-
 stinatis destinandisque nullæ remoræ inji-
 ciendæ, adminicula potius suppeditanda
 sunt. Christianus homo non ad Romuli
 aut Lycurgi, vel Draconis leges, sed Chri-
 sti archetypum, corde, studio, opere, ac
 quod vir quidam in omni literatura cele-
 bris valide urget, sermone etiam, & lo-
 quendi formulis, conformandus: litera-
 tura non tam Virgiliana aut Homerica,
 quam Davidica; non tam Ciceroniana aut
 Demosthenica, quam Isaiana aut Paulina,
 salvo aut mutuato etiam cultuam plectenda
 nobis est. Omnis nempe spiritus Chri-
 stum resonet, omnis spiritus cedat Chri-
 sto; nihil argutum, ingeniosum, elegans,
 cordatum, consonansque videatur, quod
 Christo cassum sit, qui hæc talia & habet
 omnia, & infinitis modis superat. Cor-
 ruptas aures, quibus Plato pro Joanne tin-
 nit;

nit; cœcum iudicium, cui præ Moyse Aristoteles placet; infectam linguam, quæ Tullium præ Paulo sapit, cor ligneum, quod Seneca potius quam Christus roborat, delirant, fabulantur, balbutiunt, frigent, quæcunque infra Christum sunt, aut Christianos, quorum unum vivificans verbum emortua alia mille, veluti ille unus Moyfis Serpens præstigiatorum anguillas numerosas devoravit. D. Mira rareque loqueris. T. Nec mira nec rara: Sed quæ mirum sit inter nos rariora esse, cum omnes Christum profiteamur ore, opere an, dedignemur! certè postponimus, multi omnibus studiis. D. Si itaque Deo conciliemur referamusque Christum, quid literis erit reliqui? T. Plurimum. Nam tum demum formabimus dabimusque literatos, ubi literionum & obliterandorum erit minus. In hanc enim operam & dudum incubui sedulo, ac etiamnum plurimas meditationes impendo. Nam recte curare adolescentiam, est efformare aut reformare etiam rempublicam. Hic mihi, ut ingenue fatear, multa volutanda, tentanda,

mu-

mutanda mitiganda fuerunt, secus quam
 usus recepit, interque spem & metum la-
 borandum, ubi nec nimis fascinari auto-
 ritate nec abripi suis inventis, consultissi-
 mum est. D. Nunc demum mysteria tua
 explica. T. Nihil insoliti expecta. Pri-
 mum, hoc unice mihi curandum putavi,
 ut quid ageret juvenus, sciret. D. Quid
 hoc sibi vult? T. Scilicet nihil quod facien-
 dum sibi esset, exotica lingua præcipere-
 tur; nihil etiam præciperetur, quod
 non caperet, explicatumque habe-
 ret iudicium; nihil explicaretur, quod non
 admitteret, & ambiret etiam ætas, quibus
 tribus & maximum fit temporis compen-
 dium, & parcitur teneriori ætati evidentis-
 simè, & memoria feliciter impenditur.
 Quam enim non dicam tædiosum, sed in-
 sanum est, ignota lingua discere, quomodo
 formandus sit casus, aut construendum ver-
 bum! cum nescias, quid sibi hæc regula
 velit, & decuplo operosius sit hanc addi-
 scere, quam rem ipsam uti jubet facere:
 veluti futuro pictori Arabicas Regulas
 præ-

præscribas, quomodo terendi colores aut temperandi, quomodo penicillus ducendus, quomodo res visæ exprimendæ. Deinde quam laboriosum & fastidiosum est, si maxime verba capias, non etiam quis sensus & in rebus humanis usus talium sit, qui termini artium vocantur, intelligas: quod in Logicis & Physicis maximè juventutem impedit: Hic faciliore & rebus accommodatiore explicatione opus est, ne chimæras aut tricas, aliaque monstra addiscere sibi videantur, cum quotidie obvia sint, & rebus omnibus applicari possint. Porro non minus inconveniens est, plura à teneriori ætate exigere, quam præsens captus & habilitas admittat: veluti Philosophicas speculationes, aut Rerumpublicarum actiones, aut Rhetorum exercitationes, aut linguarum critica, aut artificum controversias: quibus non tam atteritur memoria, quam nausea contrahitur, ubi contra floridis sententiis, appositis similibus, accuratis apophthegmatibus, nervosis historiis, iisque ut plurimum sacris, omninò vero mores vitamque formantibus, ingeni-
um

um acuitur, memoria exercetur, animus recreatur, animæ denique consulitur. Itaque ut multi credunt, laboris esse ac operæ pretium plurima infarcire pueris, quæ ad nutum regurgitent & evomant; ita mihi stat sententia, artis & felicitatis esse, talia juvenculis concedere, quæ & appositè reddere, & usibus applicare, & in majus quotidie diducere, atque tota vita meminisse tam possint quam debeant, non post unum alterumve annum dediscere opus habeant. Ea namque multorum infelicitas est, ut post aliquot literarii pistrini lustra cum stupore pariter & indignatione intueantur; primum artium præcepta non magis quam Alcorani azoara intellecta; dein nodos laqueosque Philosophastrorum minus quam ex tripode oracula explicatos; insuper, summorum ingeniorum usus & conflictus haud facilius quam araneorum tela dissutos, conglomeratosque, hæc scilicet omnia memoria devorata, tergore exantlata, nausea ejecta, pœnitentia expiata esse, tandemque nihil restare quam lamenta & miseræ has voces: ô infelicem memoriam, cui
 tam

tam insipidus cibus contigit! ô inauspicatum tempus, quod in quisquilias absumptum! ô inutiles sumptos, quibus hæc futilia emta! ô indignas plagas & immeritas lacrymas & juventutem defloratam, ac corpus enervatum, generositatemque animi fractam, ob rem, uno verbo, sed mitissimo, dicam, nihili.

D. Tria ergo mihi notanda veniunt; Ne sine interprete, sine explicatore, sine conductore, juvenus discat. T. Bene D. Sive, nihil peregrinum, inutile & supra captum: T. Huic quartum adde, nihil etiam varium seu multiplex, quod video multa ingenia confundere, quæ ad diversissimos labores uno tempore adiguntur, vere etiam dividuntur & comminuuntur. Quam vero opportunum sit, uni studio omnes nervos advocare conferreq; nisi ubi animus ex jugi fatigatione relaxandus est, haut facile dixerim: quid noceat illa temporis intercisio, & studiorum velut frustillatio, alii conquerantur. Neque tamen plus æquo temporis uni rei dandum est, sed per vices, non vero diarias aut horarias studia per-

mu-

DE LITERATURA CHRISTIANA. 95

mutanda, ut velut ex tædio ejus, quod recte conceptum animoque sedet & assuetudine facillimum redditum est, aliud quid concupiscat, quod plane contra apud alios fit, qui ex tot studiorum, si dicere liceat, velut atomorum concursu informe chaos colligunt, pariterque omnia abhorrent, nulla solide capiunt. D. Meminero. Ecquid verò studii aut operæ à juventute exigis? T. Supra omnia trium linguarum cognitionem, Latinæ, Græcæ & Hebræicæ, veluti instrumentum ad omnem eruditionem excipiendam, tractandam, servandamque idoneum & necessarium. Hoc posito studiorum compendio & fundamento, omnem facile literaturam superstruxeris; absente & neglecto, nullam solidam contuleris, quicquid laboraveris. Et hic ille scopulus est, ubi tot Præceptores pariter & discipuli allidunt, dum insano labore, & incredibili nausæ artes ingerunt & vorant, antequam ex linguarum cognitione subsidium adsit & facilitas: fitque de novo memoriæ vis ab hac cannicina, ubi judicium linguarum interpretamine adjutum,

tum, nullo negotio, imo etiam maxima voluptate, rem expediret. Hic ego vellem plurimum & operæ & temporis impendi, nunquam vero artium præcepta præcipitari, cum una dies linguis suffulta iudicioque firmata, plus artium etiam abstrusarum capiat, quam integer mensis sine hoc lumine palpet, licet ingurgitet recondatve, nunquam in usum conferet, aut cum voluptate possidebit. Cæterum, quæ linguarum edocendarum facilius ratio sit, quæ addiscendarum expeditior; an juncta an separata? an permutata? an ætate prima aut adultiore? meum non est definire, multo minus peritioribus obloqui. Mihi quidem inter Grammatica & Prosodica præcepta, facilem, jucundam & perpetuam lectionem, interpretationem & conversionem, plurimum compendii adferre observatum est: atque ob id hoc potissimum tempus, quo memoria valet vigetque, commodius creditum, quæ adultiores annos, etiam laboriosos, destituere solet. Sed ut diversa sunt ingenia & captus nunc celerior, nunc tardior, ita vix

tuto

tutò eandem regulam observabimus. Hoc ta-
 men agamus, ut, dum linguis laboratur, sem-
 per ingenio aliquid, quod scire expediat, sup-
 peditetur, ne in vanum memoria fatigetur,
 sed duplici aut multiplici etiam officio studio-
 ve defungatur. Itaque optimi & sanctissimi
 Authores deligendi, qui dum lingua forma-
 tur, ingenium simul poliant, mentem in-
 struant, animam erigant; atque multiplici
 voluptate hominem adolescentem perfun-
 dant. Hic Bibliis, Historiis, Ethicis &
 Poeticis nihil perfectius, jucundius, aptius
 & elegantius, ubi teneros animos sine labore
 & tædio subeunt Præcepta DEI; actiones
 honestæ; regulæ exactæ; dum alii inanibus
 fabulis, exuccis sophismatibus, frigidis vo-
 cabulariis, phraseologiis, nomenclaturisque
 sine numero, pondere & mensura disten-
 duntur & opplentur. Quid verò rationa-
 bilius, quam addiscendis linguis simul adhi-
 bere linguæ plasten? ejus antiquissimis ho-
 minum memoria formulis assuescere? præsen-
 tis & futuræ vitæ fundamenta stabilire? atque
 suis potius quam alienis oculis veritatis securi-
 tatem introspicere? Quid æquius quam A-
 brahami

E

brahami

brahami vocationem præferre Ciceronis exilio? Iosephi carcerem, Reguli vinculis? Israelitarum exitum, Xerxis expeditioni? Decem præcepta, duodecim tabulis? Davidis monomachiam, Horatii parricidio? atque uno verbo Ecclesiæ peregrinationes, quas nescire nostros piaculum est, Apuleji erroribus? quid consultius quam non comicos, sed nomicos; non Poetas, sed Prophetas; non Rhetores sed Patres; non Philologos, sed Theologos excolendæ vitæ adhibere? Et tamen non omnibus hoc persuademus, qui malunt per sentinas, cloacas & lupanaria, imò Molochi renovati ignem innoxiam ætatem transire, quam impollutam Christo Soteri sistere, atque consecrare.

D. At quis ad hanc normam nostros doceat? T. Haut frustra sollicitus es, nam & ego de Præceptoribus idoneis circumspicio, quos non passim reperio. D. Non sint hoc erudito sæculo? T. Suspicio multis deesse veriore methodum, quibus non desit vel industria vel fides: Aliquibus adesse, & peritiam & voluntatem, quibus non adsit facultas vel auctoritas: Nonnullis omnia in promptu esse, quos torpor & avaritia detineat. D. Interim

multi

multi emergunt? T. Quos Deus extrahit: contemplare vero mecum quorundam Præceptorem, & immaturam ætatem, & crudum judicium, & incoctum rigorem, & præcocem fervorem, & musteam eruditionem, & insipida dictata, & horridum supercilium. D. Facio. T. Contemplare etiam quorundam obsoletos ritus, inveteratas formulas, inconcinnas traditiones, intolerabilem bilem, immodicam tenacitatem, jejunam verborositatem. D. Video. T. Contemplare etiam apud optimos quosque contemptum, jejunium, servitutem, ingratitude, morbos, fatigationem, desperationem, quibus conflictantur. D. Fatendum est. T. Contemplare demum apud pessimos imperitiam, negligentiam, vanitatem, stoliditatem, impudentiam, varietatem, intractabilitatem, quibus merito exosi sunt vitii. D. Dolendum est. T. Ab his quid aliud expectabis, quam juvenutis ambages, & labyrinthos, quibus & addicentur humanæ vitæ incommodis frivolisque: & abducentur, quod unice lugemus, à verioribus bonis? Nam quod pridem dixi, denuo repeto, mul-

tis sumptibus, flagris & annis; foetore; sudore, terroreque; memoria, sanitate, ac conscientia opus est, ut juventutem nostram perdamus, quam frugaliore, breviori, alacriori certiorique compendio ad optimam frugem erigere possimus. Quid enim tetrici illi capricorni nobis, quam trepidos? quid insulsi morosphi, quam inspidos? quid vocabularii, nomenclatores, quam verbosos? quid plagosi carnifices, quam maculosos? quid imperiti stipites, quam ligneos relinquerent? qui cum vix eruditorum pulpita, aut librorum thecas, nedum artium scientiarumve titulos, & ingenii humani gazophylacium inspexerint, censoriam virgulam, vel subulci verius flagellum in omnem literaturam sibi sumunt. D. Ecquis tandem Præceptor tibi satisfaciat? T. Non absunt tales, quos demereri spero malorum vituperio: tales inquam, quibus nec laudis satis, nec honoris, nec etiam præmii confertur, ob egregiam Reipub. præstitam operam, & quos omnibus aliis ordinibus propemodum prætulerim. Nam Præceptor bonus ducit, dum malus trahit; lucet ille, hic offuscat; docet ille, hic confundit; regit ille, hic impellit, excitat ille hic deprimit;

primit; delectat ille, hic angit; format ille, hic destruit, paucis dicam; Nisi Præceptor ipse liber, imò Bibliotheca & Museum inambulans sit; nisi laboris Breviarium & manubrium; nisi linguarum artiumque Repertorium & formula, nisi insuper Patriæ & Ecclesiæ decus & ornamentum audiat; non sapit ad ingenium nostrum. Nam libros repetere & exigere; ad laborem agere & stimulare; præcepta, regulas, dictataque obtrudere & inculcare, cujusvis est: summam rei monstrare, facilitatem aperire, applicationem adhibere, usum docere, exemplo præire, denique ad Christum omnia referre, hoc opus, hic sudor Christianus est, quem nullæ orbis opes rependerint. Cæterum non omnes tales exigimus: Pædagogiarchæ tales, Rectores & Scholarchæ si sint, monitis & conductu cæteros ad hanc rem Ecclesiæ & Reipub. optatam adducunt, redduntque nobis Scholarum liberalem & Christianam faciem: iis imprimis locis, ubi destinata sunt Ecclesiæ seminaria, & sacrarum linguarum literarumque usus maximè necessarius est. Video autem, ni fallor, docentes juxta & discentes,

non satis commodis libris instructos esse; & ad rei literariæ, potissimum verò sacrae, promptuaria vix admitti, minus etiam ejusmodi voluminibus juvari, quæ docendi discendique labores mitigarent; minime omnium variæ eruditionis & tot ingenii elegantiarum conscios fieri. Unde suis libellis instructi & saturi, sapientiæ adyta & penetralia sibi pollicentur; in angustissima literaturæ insula reguli, consules, prætores, tribuni & quicquid popellus dixerit, insolenter imperitant. Unde si eorum aliquem in amplum aliquod sagacitatis humanæ emporium emittas, & ingeniosa commercia monstres, quam stupet, quam hiat, quam sui pudet, & propudiosæ vitæ tædet, & tædiorum dolet! cujus profecto vivida exempla passim tibi monstravero. D. Crediderim. An verò jam omnis eruditio absorpta sit, si tribus linguis perstreparamus? T. Apage, annon enim prædixeram, has claves tantummodo esse, quibus ad optima quæque admittamur? quamvis si meum consilium sequaris, & linguas non nisi frequenti selectissimorum librorum, sæpe historicorum, maxime verò voluminis

luminis sacri lectione apprehendas, nec hoc sine profectu ingenti, & emolumento certissimo sit futurum. Sed omnino ad alia & plura juventutem deposcimus. D. Quæ illa? nam ad speciem urgendus es, cum summam cuivis conqueri promptum. T. Mathesis & Physica. D. Eho, ante Logica & Rhetorica? T. Sic mihi visum. Sed neque illa accurata & scrupulosa volo, neque hæc differre æquo diutius. Mathesis inquam primordia, eaque per diversas partes varia, tum jucundissima, & quotidianæ vitæ apta, juventuti solerter tradita velim, quæ mirum quam facile apprehendat, & rebus cum voluptate adhibeat, ut dolendum sit, non posse hoc persuaderi omnibus, nec iis etiam, qui dimidiam ac potiozem partem omnis eruditionis hanc possidere & vindicare sibi, liquido cognoscunt: sine qua mancam etiam, & monoculam quasi, non diffitentur: magis agnitori, si ejus amplitudinem & dijudicandi lumen penitus introspicerent. Postea Physices quoque facilliora & floridiora, velut germanæ cum Mathesi sororis addi suaserim: sed ejus à spinetis & speculationibus liberæ, & communi

vitz proprioris, utriusque scilicet industriis
 Præceptoribus, & minutis præceptionum li-
 bellis, captui & delectationi accommodandæ.
 Quod si quis fieri posse dubitet, aut impetra-
 ri maximo labore suspicetur, vivo olim
 exemplo, atque specimine tibi conprobassem,
 quod heu fatum mihi extinxit. Viveres, ò
 viveres, quondam voluptas mea; decusque
 meum, Flos nobilitatis Ehrenrice Hohenfel-
 dere & plurimas objectiones, etiam meas
 refelleres! Gaudet erudiri juvenus, si doceat-
 ur non distendatur; ovat formari, si exscul-
 patur, non comminuatur; patitur corrigi, si
 dirigatur, non incurvetur; potest impleri, si
 instilletur, non infarciatur. At nos agaso-
 nes malumus fustibus quam verbis, & ut ver-
 bo dicam conuetudinè, quam tolertia, rem
 omnium maximam, id est, posteritatis no-
 stræ procuracionem, expedire. D. Interim
 Dialecticam suspendis & Rhetoricam, de qua
 anxius sum; scis enim quam nihil hodie va-
 leat, qui hic langueat. T. Bono animo sis,
 jam eas admitto. Sed tu, quos mihi Logi-
 cos dicis, quos Rhetores? D. Omnes, ac sin-
 gulos. T. Quid si ego propemodum nullos?
 sed

sed temperantior sum. Tu Logicos ais, qui non nisi præscriptos & memores Syllogismos nectunt: & Rhetores, quibus arena est sine calce? Hoc age potius, ut instruaris varia materia, quam & dijudicare acutè, & enunciare possis floride. Stupidum te, siccum te, si artium terminos in parato numeratoque habeas, cætera egenus ab omni re, quam examines aut persuadeas. Scilicet pharmacopolam pyxides, aut fabrum dolabra, sutorumve subula non faciunt, virum artificemque faciunt, non opus ipsum, quod expetitur, sed operis definitio. Unis nempe nobis liceat instrumentorum nomenclaturam rem absolvere, si nihil unquam operis aut commodi ad Rempubl. redundet! Itaque tum demum asciam, ferram vel malleum, limamve, in manum domus, ubi ligni metallive est affatim, & opus ipsum deposcitur; per otium fortasse dicturus, cur hæc aut illa nomina imposita, vel à quibus artificibus confecta sint. Sed neque prohibeo hæc talia etiam materiis formisque inspergi, dummodo pueri non immature his fluctibus immergantur, temporisque quod aliter usur-

pari possit, faciant dispendium, aut memoria patiantur præjudicium. Nam opportunus Magister omnia tempestive adhibet, ut importunus cuncta intemperanter. Unde velim Præceptorem ipsam regulam esse & regularem: non qui regulas aliis inculcet, aut per sanguinem & sudorem extrahat. Ubi Logica attigerint adolescentuli, remittendi vel emittendi potius sunt in varias humanarum ætatum, ordinum, religionum, studiorumque controversias, quas ad verbum scripturæ potissimum examinent, strophas & sophismata persentiscant, & oraculis Dei acquiescant. Ubi Rhetorica, excurrere licebit in campos honestatis humanæ; vireta veritatis Christianæ; paradisos sapientiæ Divinæ; & variis corollis comas virgineas ornare. Non possum enim, quin ad Christum Christianamque Religionem nos subinde revocem, qui videmur nescio qua indulgentia, aut fucatis illectamentis, abire remotius. Sordet Logica Sacra, ut magis rationi obtemperemus, quæ nunquam non Deo obloquitur: Sordet Rhetorica sacra, ut citius fynes gentilis facundiæ abripiant, quam vocantis

cantis revocantisque Dei vox exaudiatur. Ju-
 dicii mihi satis sit, verum à falso segregare,
 non laqueos aut strophas intricare: Styli sa-
 tis, bonum præ malo eligere, non luxuriari in
 rebus futilibus. Nec tamen deerunt, ne te-
 tricum credas, liberalia exercitia, quæ inge-
 nium acuant & linguam laxent: ubi præter
 risibile, murem, eornua, aut Milonem, Ro-
 scium Archiamque, multis nihil est reliqui.
 D. Nunc id etiam explica, an hæc tanta me-
 ris, ut ais, blanditiis impetres. T. Non
 semper: sed vultu paterno & æquabili opus
 est, nihil truculento. Cæterum alia apud
 me delictorum æstimatio fit. D. Quæ illa?
 T. In Deum peccata, crimina sunt, & severe
 increpantur: in proximum & seipsum vitia,
 & solcite corriguntur: in Priscianum macu-
 læ, & spongia absterguntur. Ita impietas
 culpatur, immodestia prohibetur, Solacif-
 mus ridetur. Nisi enim sacrorum reveren-
 tiam conciliem, virtutum amorem, literarum
 facilitatem, jam dissolvi & confundi meam
 didacticam cupiam; quæ uni Deo consecrata
 sit, optimosque formet homines, sed eosdem
 à nulla rerum elegantissimarum cognitione

alienos. D. Venimus nunc ad vitam Aca-
 demicam, si recte conjicio. T. Hic Plato
 jubet quiescere. D. Noli obsecro subsistere.
 T. Non eo se extendit mea methodus. D. Sed
 est, quod tuos illos in Academiam mittendos
 admoneas. T. Satis ibi monitorum, ubi do-
 ctorum abunde. D. Nulla cautio est? T.
 Cautum faciet tot eruditorum conversatio &
 exemplum. D. Nullum periculum subest?
 T. Omne tulit punctum¹, qui de Academiis
 eleganter pariter & cordate disseruit. D.
 Non lubet repetere? T. Non decet: tu, qua-
 sio, desine de Diis percontari curiosius. D.
 Nihil nobis licet? T. Hoc certe, ut qui ex
 Academiis ad nos redierunt, examinentur,
 ecquid profecerint. D. Benè est. T. Sci-
 licet an tempori, impensis, laboribus, re-
 spondeant effectus, & in Rempub. usus? an
 conscientiae, morum, judicii, nullum sit fa-
 ctum dispendium, augmentum evidens ac-
 cesserit? an spei, occasione, conatibus, fa-
 tis factum? nihil frustraneum sit? an artes,
 quas profitentur, exercere, tuerique titulos
 suos, & honoribus pares esse queant? an su-
 pra vulgus sapiant, valeant, credant? Hæc
 sane

sane nobis exigere concessum est, parentibus
 æquissimum, quorum de corio luditur. D.
 Quid respondent? T. Multi obmutescunt;
 pro auri talentis, ne micam bonæ mentis;
 post tot annorum partes, nullas omninò ar-
 tes; inter tot dictata, nulla reservata; deni-
 que post magisterii emtionem nullius mini-
 sterii redditionem referunt. D. Anne gra-
 dibus paulo iniquior es? T. Non sum per
 Christum! quos ambiendos & fovendos
 sancte statuo: sed doleo eos esse potius ine-
 ptorum opercula, quam aptorum honora-
 ria, maxime cum haut minimo impetrentur,
 etiam cum Dei proximique injuria hanc in-
 versionem fieri, certissimum sit. Parcius,
 parcius velim hæc donaria projici, præsertim
 cum sub jurata fide, & solemnibus literis, ac-
 cipiantur, & Reipub. imponere fraudis sit,
 ac ingentis damni, quod nemini artificum
 aut mechanico condonandum videretur. Si
 carere possumus perutilibus artibus & lin-
 guis, careamus & sumtuosis titulis: & cum
 nos non artem vel articulum, sed artes exi-
 gamus, illi non jactitent artificis & septem pli-
 cis & articulati nomen. Nulli cauponi Sym-

bolum debetur, nisi qui paverit; nec nomen
 honorabimus, nisi qui probaverit. Sartorem
 vestis, Sutorem calceus monstrat: Magis-
 trum artium quidni etiam peritia? Nihil
 luceat sine luce, & magister doceat sine du-
 ce. Quid, quod ne Dialectici quidem ali-
 qui, declamatoresque sunt, qua tamen orbi-
 ta septenarium illum contrahunt. Non hæc
 devotorum vota fuerunt, non voluerunt
 Regum privilegia; non veritas ipsa indulse-
 rit; non sinat literarum honestas; ut pro lu-
 bitu aut lucello agamus. Pudeat aliquos, id
 M. aut D. quod nomini præfigunt, Mentiri,
 aut Decipere, apud nos sonare: vel si hoc
 duriusculum, Mendicari, aut Desipere. So-
 phiam ajunt, Hygiam, Themidem, Euse-
 bien, sponfas, imo conjuges suas: quin So-
 phoclis aut Hycrei, aut Themillæ, aut Eusta-
 phii filias, quas æque ignotas & nunquam
 visas habent. Sed relinquere hæc Deo, fron-
 ti conscientiaque cujusvis tutissimum est.
 Meminisse oportet stulte ingressos, oscitan-
 terque viventes, non nisi cum turpi ignoran-
 tia exire posse. Sed leviculum sit ignorare, si
 sumatus condones: hoc dolendum est, multos
 no-

DE LITERATURA CHRISTIANA. III

nobis reddi corpore animoque; deteriores, quos vel foeda Venus infecit, vel Bacchus calefecit, aut alius quispiam malus genius pudescit, aut alius quispiam malus genius pudescit, pravorumque contubernium pessum dedit funditus. Hæc operiri, hæc emere lamentabile est, & ad tribunal Dei referendum, cum de pietatis cultura severiore, morumque disciplina exactiore, si parum est scientiarum institutione feliciore, opinionem, spem & fiduciam longe aliam & majorem animo conceperimus, luctum vero ejus frustratæ ad tribunal Dei deferamus. Non parum est, omni literatura artibusque cassos exire: multum, patrimonia & parentum omnem succum prodegisse: at pudorem conscientiamque corrupisse, plurimum est, ac intolerabile. D. Nullum remedium habes? T. Fugam pestilentis sodalitiæ, & conversationem honoratam. Nam si inter se tantum, & sibi, relinquuntur juvenes, nihil non noxii expectandum est: sin viris gravibus & exercitatis assuescant, sponte ab hac infami & sordida communiõne abstinent. Hic nescio quod supercilium & morositatem aliqui accusant, quibus vix licuit, toto studiorum tempore vi-

rum

III DIALOGISMUS III

rum meritis conspicuum alloqui, propitium, nedum, familiarem habere, neutiquam. Atqui horum erat non prælegere, sed exprimere libros: non imperare, sed præire iuventuti: non nutibus sed verbis formare imperitiam; denique librorum supellectile succurrere minus instructis, selectiora suadere, insinuare, explicare, periculosa subducere, commutare, confutare. Qui si in caveis deliteant, nec nisi cum horrore prodeant, quam parum humani aut liberalis, quod tamen profiteri ajunt, nobis exhibent? Nemo opilio probetur, nisi qui singulas oves agnellosque & noverit & curarit, & nobis peregrinum gregem agere concessum sit. De his vero illi, qui hoc sive admittunt, sive committunt, viderint, mihi nunquam non honorifica tot celeberrimorum virorum, & consuetudo & memoria erit: nunquam Bibliothecarum eorum usus sine gratitudine recolendus. Hic licuit metiri eruditionem suam, non compendii ulna, sed operis perfecti peritica: & ponderare in genii dotes, non erotematum scrupulis, sed inventionum humanarum ponderibus: hic numerare licuit, me-

mo-

moriæ rationes, non persuasionis unitatibus,
 sed captus humani denariis: hic licuit etiam
 dedignari invecam Peripateticam tyranni-
 dem, cum innumeris alii melioris mentis, &
 verioris oris, diviniisque spiritus, eam emol-
 lissent, & ad Divinum obsequium compone-
 rent. Magna hæc pestis & diuturna Eccle-
 siam Scholasque afflixit, mutato semper ha-
 bitu, nec etiamnum hodie suis terminis satis
 consistit, quin meliora certioraque elidat, &
 principatum in longe optabiliora deponat.
 Certe cum dolore nostro dicendum est: si
 Christus eundem, quem Stagira ille, locum
 apud nos obtineret, & æque indefesso studio
 inculcaretur, rectius nostris rebus esset con-
 sultum. Sed tu nimis me in hac strepera
 palæstra detines: vellem ad nostros agnellos
 reditum, quibus incognitæ sunt Academiæ
 phalæx. D. Quidquid hic frugaliter vivunt,
 paulo post totis amphoris effundent. T. Ne-
 scio qua immunitate, aut, ut multi volunt, stu-
 diorum exigentia, nullo equidem Christiano
 privilegio, sed consuetudine potius satani-
 ca; qui satan ubi otium obtinuit, addidit sa-
 ginam, superaddidit luxum, tandem impo-
 futi

suit coronidem proterviam. Quid vero meis ad liberalem victum, amictum decorum, relaxationem debitam, exercitia conniventia desit, si maxime intra & extra Academica nesciant commestrationes, divagationes, conflictus, amores, mundumque muliebrem ignorent. Certe si Hebræorum Regia proles ad pultes & hydrias feliciter educata est, Deo etiam corporibus cultum, mentibus acumen, suppeditante: minus absurdum erit Christianam progeniem moderatis epulis, & mensurato vino nutrire. Non aliter Paulus, gentium reformator tulisset: non aliter pia antiquitas, cui vix tantum otii excusaremus laboribus deditæ, & intentæ, minus immensam hanc voraginem, cui nullæ prædia aut territoria sufficiunt. Nimis equidem pro Christiana educatione sumptuum est: quod qui aliter intelligunt, faciunt intelligendo, ut nihil intelligant. D. Vah, quam callide præteriisti rem omnium eceleberrimam & fructuosissimam, disputatoriam & declamatoriam! T. Quid ego homo umbratilis & elumbis, illam arenam memorem, ubi fortibus Athletis opus est. Sed cave putes me
has

DE LITERATURA CHRISTIANA. 115

has luctas & litia vilipendere. Debemus
Satanæ obloquium, Deo alloquium: quæ
duo si recte exerceantur, milites & cives Chri-
stianos possidebimus. Utinam vero non pars
quam ars, dens quam mens, lis quam vis,
mos quam os magis eminent, utique inter
nos pacati, contra hostes magis pugnaces
prævaleremus. Utinam in nos etiam, do-
mesticaque vitia intestinum bellum vertere-
tur! utinam tam manibus quam linguis red-
deremur agiles, corde quam faucibus com-
pareremus præsentiores. Nunc inter verbo-
sas rixas, aut Thomæ Scotive argutias, aut
neoterica etiam ferramenta, multi minus fi-
dei, spei, patientiæ & charitatis concipiunt,
quam vertumno satanæ, disertissimoque
mundo, & hæsitanti carni satisfaciunt. In-
terim laudabimus, quotquot verio rem mo-
dum & docent & tenent, & has velitationes
ludicras, cum feriis pugnis conjungunt. Ab-
usus enim usum tam inique tollit, quam usus
abusum periculosè tolerat. D. Places, qui
in personas minus injurius nec invalescentia
incommoda probas. T. Hoc æquitatis est,
non succensere iis, qui optima voluntate, evi-
den-

dentibus conatibus, & dexterrimo iudicio, remedia adhibent, nec tamen corpus agrum sanant. Itaque cum morbis Scholarum res mihi est, non Medicis, minimè omnium medicina ipsa, quæ non semper ad manum esse potest. Hinc imprudenter agunt, qui ad quodvis desideratum irascuntur, quasi per eos fiet, mundum undique correctum dare: aut si quid desit, minus sint autoritatis habituri. Vitia enim erunt, dum homines erunt, neque suas res quisquam adeo exactè subduxerit, quin etiam aliquid iuste desiderari possit. Tyrannorum est, fauces obstruere, ora comprimere, singultus etiam prohibere: sed bonorum principum, admoneri velle, imo nonnunquam oportune corrigi. Quid, quod illi ipsi, quos nostris querelis irritamus, in aliis multa carpunt, multa improbant, nec inter se satis conveniunt? ut palam sit, in omnes alios imperium appetere, nemini relinquere de se iudicium. Hinc fit, ut eos vel in primis offendamus, quos putabamus nobiscum sentire, eadem desiderare, eademque appetere, cum paulo ante vox nobiscum & conversatio eadem fuerit, quos ad

sub-

DE LITERATURA CHRISTIANA. 117

subsellia sublato, non mutatos fortasse, aut
 seculi vitiis abreptos, vel demersos; sed pri-
 dem imbutos, & eadem lue infectos, inter-
 dumque intractabiliores intueri cum stupore
 necessum est, eademque ferre, quæ illi in a-
 liis tam operosè accusabant. Habet enim
 præminencia peculiaria sua symptomata, &
 arcana, uni Adamo nota, cæterum à Chri-
 sto alienissima. Hic ego velim multos au-
 dire & sequi Jacobum Acontium, iudicem
 omnium, quos videre contigit, arbitrumque
 & conciliatorem æquissimum: sed & ipsum
 fuismet regulis arbitrandum, qui dum Sata-
 næ stratagemata, quibus mutuo intricamur
 & abalienamur, explicat, mirus reconcilian-
 di, interpretandi perferendique artifex est,
 & ad Christianam tranquillitatem confectan-
 dam oportunus doctor: quem ego nec lau-
 dare satis, nec demereri, ob sedatos animi
 æstus, & perspicilia oculis admota, possum:
 dignum profecto, quem non ex trivio pueri,
 sed ex tripode senes legant & relegant. D.
 Persuasisti ut hunc consulerem. T. Fac, &
 gratiam mihi habebis. Sed jam deseramus
 tandem hoc fastigium; dudum enim verti-
 ginem

ginem patior. D. Ut lubet. Descendamus ad puerulos nostros, inter quos Christus deliciatur. T. ó pueros puros, utinam nunquam inquinentur, sed ne nimium credamus huic innocentia. D. An metus subsit? T. Et maximus, scio enim Satanæ insidias, quam in minutis etiam negotiosus sit, nec caro tenera ad improba quæque inhabilis. Cavendum itaque à curiositate, salacitate, furtis, mendaciis, æmulatione, fastu, exandescencia, fercordia & palati delitiis, quæ impetere & fascinare pueritiam solent, non minus quam ætatem adultiorem. Hic evitandæ occasiones, abigendi corruptores, eradicanda principia, & variis speculationibus excubiisque explorandi, atque excipiendi, ne tale quid invalescat, quod omnem ætatem contamine. Crede mihi, Adam etiam puer est, & puer pessimus, qui eò profundiorē habet nequitiam, quo minus conspicuam aut creditam. D. Laboriosam hanc custodiam suspicor. T. Certè laboriosam & anxiam, cui nisi Spiritus Domini succurrat, nusquam satis aurium & oculorum est. Sed quam alii in re nihili atteruntur! quantum sibi in Prisciano (defen-

den-

dendo) negotii faceſſunt! quod rectius in
 morum ſanctimoniam impenderetur, ſed &
 harmonica œconomix diſpoſitio plurimum
 fatigationis minuit, Patris reverentia, Matris
 pudor, familiæ modestia, liberorum discipli-
 nâ, vigilum fidelitas, libertatis moderatio,
 ſtudiorumque ſolertia, quid non fecerint,
 ſub divino adjutorio precibus advocato? Hic
 patris imperium planè Monarchicum velim,
 qui primus motor omnibus ſecundariis mo-
 tionibus vias periodosque definiat, atque ut
 ſol univerſi, ſic ille domus-regulam conſtitu-
 at: Unde hunc aut methodi exactioris peri-
 tum, aut abſtinere à juventutis cura optave-
 rim. D. Hem quanti laboris & immenſi o-
 neris! T. Opinione minus, ubi rotulis &
 vertebris motus dextrè inditus eſt, & aliquan-
 tiſper continuatus. Cum qui laxatam di-
 ſperſamque familiam habent, Ixionis ſaxum
 volvant. D. Sed adminiſtris opus eſt. T. Uti-
 que neſcio tamen num dexterioribus, an obſe-
 quentioribus. Nam, qui ſibi nimis placent aut
 fidunt, harmoniam tollunt, qui monitis parent
 rectius inſtituunt. Neque certe tanti ingenii
 eſt ſubinſpectore, & direttore exquisito, eru-
 dire

dire imperitos, laboris potius & patientiæ: ut tutius sit pueros per pueros, sed subordinatos, quam impatientes & superciliosos sciolos formare, dum modo recta illis semita sit, & velut ecliptica, qua non excedant. D. Miram facilitatem polliceris. T. Certam & expertam, quæ uno biennio duo lustra alibi pudefaciat. Dicit enim non potest, quantum hi orbes domestici, sese mutuò excipientes, annuo jugi, sed voluptuario motu, promoveant: ubi pædotribarum aliqui carri perpetuo strident, nec unam leucam conficiunt: quod nemo credit, nisi utrumque expertus. D. Non hebetabis ingenia? T. Jam ante dixi, inter vos aliquos hæc facere, qui tot volumina pueris intruditis, quibus dediscendis plus temporis & studii opus est, quam alii encyclopædiæ communicandæ absolvendæque audent exigere: qui tantum barbariei baculis & fustibus infligitis, quantum civilitatis & morum elegantissimorum alii commodis verbis conciliant: qui tantum prophani, ethnici, & impii, rixis & jurgiis infarcitis, ut pietati Christianæ vix aliquis supersit locus, & tum demum Verbum Dei iacipiat, ubi desinitis,

amb

DE LITERATURA CHRISTIANA. 121

nitis, quantumvis foetore perpetuum reli-
 quo. Ubi tot annorum pensum? tot sum-
 ptuum solamen? tot vibicum pretium? tot
 nausearum premium? tot carcerum repen-
 sio? an linguæ, quas nesciunt? artes, quas
 ignorant? mores, quibus sordent? aptitu-
 do, qua destituuntur? cuncta scilicet, quæ
 titivilitio nemo sobrius emerit. Hoc si acue-
 re ingenia est, fatebor ego meos hebetari:
 imo ubi hebetare desistis Platones, Cory-
 don & Menalceas acueere incipiunt, habes? D.
 Habeo. T. Ignem ferro ne fodicato, satis
 est esurire nos, non exprobrari petacitatem
 convenit. Si abundatis, date micæ: sin e-
 getis, nobiscum ite mendicatum. Pulpita
 infidatis, nos pulmenta edimus: libros vo-
 mitis, nos chartas conglutinamus: orbi præ-
 scribitis, nos scholas everrimus: bullas mit-
 titis, nos aerem hiamus. Sed tu Christe
 cresce, & cristas Antichristi compesce. D.
 Quam incalefcis! T. Quid agat homo injuri-
 is maceratus, calumniis fractus, arctè habi-
 tus, non minus tamen ad Deum sancte colli-
 mans. D. Interim volat avis, natat piscis,
 currit cervus, repit vermis. T. Sed & attol-
 lunt preces, eluctatur spes, elabatur fides, su-
 sti-


stinet Christiana patientia. Echinus mihi
 Symbolum esto. D. Quam frontem contra-
 his, quas opponis fetas! hæc illa voluptua-
 ria institutio est. T. Tecum loquor, imo ca-
 nibus tuis, molossive, non meis credulis. D.
 Credulis? T. Concredit, quos præsentem,
 futuros intueor; futuris in præsens prospicio
 quorum parentum fiducia ignis mihi infibris
 est: quorum adolescentia, semen, omnem
 mundum vel correctura vel corruptura.
 D. Nimis tu ad scrupulum. T. Nimis tu ad
 libram. Nam nos pinguescere illis arescen-
 tibus, est in Rempub. parricidium, Ecclesi-
 am sacrilegium. D. Tristia loqueris. Ostende
 tandem voluptates tuas. T. Eho, an tu homi-
 nis Christiani compositam serenitatem cum
 dissoluta fatuitate, sales cum propudiis, liber-
 tatem cum licentia confundis? Seria res agi-
 tur, Christo extrui velle, non tetrica; faci-
 lis, non neglecta; methodica, non confusa;
 sed quæ omni Minois & Rhadamanti impè-
 rio præferatur. Emere, & vendere, merca-
 toris est; dare & recipere, hospitis; labora-
 re & edere, opificis; unus juventuti præfe-
 ctus eadem chorda deliret, non laxet eam
 aut stringat. D. Nihilne superest tui myste-
 rii? T. Nihil apud illos tuos perdendos, ni-
 si ju-

si jubeas aut ludere globulis, aut equitare in
 arundine longa; quod & longè quam ina-
 nitate repleti consultius est: quos servare vo-
 luerimus, dies in diem augebit. D. Nihil
 otii das, nihil vacationis? T. Potius perpetuas,
 nam si dicti vel minutulum addas ele-
 gantis, serii, verive, freno potius brevi opus
 habebis, quam calcaribus. Hoc interest, an
 doceamus, quæ omni vita teneantur & ad-
 hibeantur, an quæ post mensem memoria
 jam oppleta oblitterentur. Sed libellis opus
 est, sive artium breviariis, aut memoriæ ad-
 miniculis; quæ non desunt, ubi non supersunt
 decreta & dictata Apollinis; modo interpres
 adsit, & breviarii explicator, absit explicatio-
 nis commentator, facessat commentationis
 paraphrastes, crepet paraphraseos amplifica-
 tor. Non sic exaruerunt Israelis fontes, aut
 Jordani flumina, ut omnia exhauserint, qui
 heri aut hodie os eluerunt. Detur illis, qui
 hinc inde palantes discurrunt, benè merendi
 occasio, facultas, imò tantum securitas, &
 erit, quod in timore Domini dijudicemus.
 Heri natus es, hodie imperas, ait ille: nos,
 heri peccator fuisti, hodie sanctus es, succina-
 mus: adeone parum videatur homines ni-

hilo nobis deterioris, aut inferioris sortis, ab-
 jicere. D. Laterem lavas. T. Potius æthio-
 pem: nam cum hominibus nobis res est, uti-
 nam insensili luto! ubi olla an urceus fiat, pe-
 rinde est. Sed ex Christiano palmite, tribu-
 lum aut carduum nostra culpa facere, capi-
 tale sit: ex mansueto psittaco upupam, scelus;
 ex homine ingenioso asinum, facinus. D.
 Tandem mors omnia solvit, æquat omnia. T.
 Itá est, & sum expertus, sed quid mirum
 hanc sibi sua vindicare, etiam improvise, cui
 omnia parata & præparata volumus. Huc
 tendimus, huc laboramus, & studia omnia
 dirigimus, ut benè moriamur. Beatum ado-
 lescentem, qui huc pervenit! beatum Magi-
 strum, qui sistit! beatum patrem, qui per-
 mittit! beatos denique, qui pari animo &
 forte sequuntur! D. At dolet. T. Dolor hic
 mihi proderit olim. D. At at, noctis hæc
 media hora est, quin tu me domo abigis. T.
 Nihil intempestivum est mihi, quod Reipub.
 causa impenditur. D. Quam vero tibi gra-
 tiam debeo? T. Hanc unam, ut ubi ubi fue-
 ris, de nobis & sentias æquius, & loquaris
 mitius. D. Nihil porrò? T. Ut permittas
 libere proloquutum esse, quod aliis licet im-
 pune

pune facere: ac scribere alicubi verum, dum aliis proferre bonos integrum est. D. Nihil ultra? T. Ut exores Magnates, scholis toto animo faveant, recte merentes foveant, corruptores abigant. D. Jam his cautum est. T. Sic, ut Lojolitæ palmam nobis eripiant, qui palatia citius erigunt, quam nos interdum retinemus stabula. D. Sumtus majores illis sunt. T. Nobis major tenacitas, vel neglectus inexcusabilior. Quanti illi juventutem faciunt, ut Rempubl. occupent, & possideant! quantulam nos fingimus, ut rerum omnium habenas & vincula dimittamus! Illis regnum est literarium, nobis chartaceum ergastulum; ubi magistros non audimus, aut ferimus, nedum nutrimus diutius, quam volunt servitutis anni: dum illi suis ætatem imperant, & Regum penetralia rimantur. D. Nimis pro hac secta. T. Minus pro nostro delicto: nec enim ego omnia explicare vel potui, vel volui: non decuit omnia prode- re, nec licuit: non patent omnia, quæ secus fiunt, sed nec cuncta latent, quæ tacentur. Si unico homuncioni per te profui, satis esto, & tot verborum salarium. D. Ego profecto & gratias tibi ex animo debeo & dico, qui

multorum admonuisti, quorum meminisse expedit. T. Gratias Deo nostro agamus, cuius beneficio nondum consumti sumus. Is nos porrò spiritu suo regat, ne in Christianam progeniem peccemus, quod molari lapide ad collum appenso in imo maris expiandum sit. D. Vale, mi Theophile, & crede me tibi ex difficili, æquum; ex suspicace, fidentem; ex malevolo, amicum atque sincerissimum red- ditum. T. Judicet utrumque Dominus, in quo valeamus.



PARÆNESIS

Ad

ECCLESIAE
EVANGELICAE
MINISTROS.

Dn. JOHANNI HAS-
PELMACHERO

ABBATI MARIÆ-VALLENSI

Per-Reverendo, Sacra.

NON hodie aut heri primum factum est,
cum res optima & sanctissima, adeoque
divina, humanis machinamentis impeditur. id
etsi haud quaquam invito Deo, cujus est im-
mutabilis voluntas & potestas plane in victa,
fieri potest, quin tamen bonis subinde, iisque de-
lentibus & gementibus, hæc invisæ mora in-
feratur, & vota in rectissimum finem destina-
ta differantur, nemini dubium est. Nam

F 4

cum

128 PARÆNESIS AD MINISTROS

cum ita sapientissimo Imperatori visum, ut quotquot ejus signa sequuntur, simul cum hoste communi Satana luctentur, ac hoc ipso fidem testentur suam, quoties contra fidem impetuntur, charitatem, cum affliguntur virulenter: spem, cum desperatio objicitur; patientiam, cum iniquissime sunt habiti, plurimum inter est, ne ubi de summa rei Christianæ agitur, nos minis jurgisve insidiatoris nostri transversum acti, citius subsistamus, aut deseramus opus Domini, quam Divini consilii ambages & beatitudinem perspiciamus, aut ad decretum eventum, sive veritatis triumphum penetremus. Cujus ut passim Sacrae Literæ, ita utraque populi sacri liberatione Ægyptiaca puta & Babylonica, luculento nobis documento sunt. Dum illic post tot prodigia inaudita, stragem Regis regnisque incredibilem, majestatem Divinam tremendis modis ostensam, quadraginta totos annos intervenisse docent, quibus pertinacia & lubricitas populi expiarentur. Hic post motum flexumque Cyri animum, restituta vasa templi, redactam insignem multitudinem, inchoatumque præclarum opus, Sanaballati, Tobia & Gosenii machinâs at

livo-

livorem in multos eosque molestos annos intercessisse ostendunt, quibus tanti momenti & desiderii res retardaretur. Ut igitur ibi qui immota fide & mandatorum obsequio perstiterunt, terram promissam occuparunt: hic, qui patientia inter remoras, precibusque contra insidias perdurarunt, templi fastigia, murorumque pinnas effuso gaudio sunt intuiti: Ita quotquot certa in Deum fiducia in opus Domini accincti, sequaci labore & fidelitate conspicui, impedimenta adversaria toleranter transmittunt, & implorata coelica ope, retia cassesque extricant, vel transiliunt, optato destinatoque fine, vel tandem, etiam fremente Satana, perfruuntur.

Id Vobis Viri Fratres in Christo honorandi non aperire, quos mysteriorum Regni Divini edoctos satis scio, sed in mentem revocare, aut verius ingeminare, hoc calamitoso tempore visum, quo de Anti-Christi adversum Christi Ecclesiam insidiis certi, tot funestrarum Tragediarum spectatores, vitaeque insolentis & dissolutae complices, universalis alicujus confusionis torrente inundandi & submergendi, actum de Religione Re-

130 PARÆNESIS AD MINISTROS

pub. & omni felicitate conclamamus potius,
 & ob id anxie discurremus, quam fidenti ani-
 mo, manuque virili nos opponimus, & post
 hæc tædia, supplicesque ad Deum voces me-
 liora, publicæque cladis terminos nobis pol-
 licemur, quod etsi inter media pericula in-
 tempestivum, apud occallescentes frustra-
 neum, post crebram repulsam inspidum, in-
 terque tot creperos temerarium videri multis
 posset, tamen postquam de Religione Di-
 sciplina & Literatura Christiana me benignè
 audiri contigit, non abs re creditum est ex sa-
 cro etiam ordine Coniunctiores meos allo-
 qui, ut quid inter has orbis Christiani con-
 vulsiones animi, remediorum, suggestionis,
 spei, maxime omnium vero officii Christia-
 ni inclamationis, conatus ferii mihi, vel su-
 perfit, vel superesse debeat, non tam com-
 municem, quam devotiorum, exactiorum &
 promptiorum iudiciis submittam, & omni-
 no quantulus, quantilla statione cum Deo
 subsistere voluissem, contester.

Hoc igitur primum omnium mihi, omni-
 busque Christo sacratis in mentem veniat,
 menteque perpetuo resideat, Christo fidem
 dedisse, id est, summæ in terris cum absur-
 dita-

ditati, tum contrarietati, sive ut Paulus interpres optimus explicat, ei quod stultitia Gentibus, & Judæis offensio, subscripsisse, iis nempe principiis, regulis, axiomatibus, maximis, sive uno verbo perpetuis paradoxis nosmet vivos mortuosque addixisse, quæ nulla ratio capiat, authoritas firmet, potestas sustineat, voluntas admittat, dexteritasque impleat. Hoc suscipere ausos esse mirum sit, alios edocere velle stupendum videatur, contra omnem mundum tueri, miraculum merito audiat. Et tamen sic avidi multi concurrimus, sic ingredimur omnium securi, sic oscitanter tantam rem curamus, sic abimus etiam omni metu soluti, quasi è publica scena choragi. Non maximum sit credere incredibilia, appetere omnibus ordinibus invisa, sed velut res promiscua & ludicra, vendi, emi, commutari, immutari, appeti, pendique possit sine discrimine. Qui Alcoranum vel Talmud corde admiserit, præputium perdat necesse est; qui Jovis familiam, imolet; qui nullum agnoscat Numen, nullum horreat; & Christo dedicati, non Christi regulam invita carne induant, quam Jevdo-Christiani cucullis, speciebus diris, & flagel-

gellis subigendam censent. Hoc igitur interest, ô Fratres, ut, quotquot divina vocatione arduo operi dedicati sumus, quotquot serio Christo laboraturi convenimus, non tantum Pontificis fastum, Calvinii obloquium, & Weigellii curiositatem superemus, sed rationis etiam humanæ deliria, usus quotidiani allecimenta, & carnis nostræ refragationem excutiamus, statuamusque nos Christo ad arbitrium, cum publico orbis risu ita obsequentes, ut appareat, non temere, sed electione, non incogitantes, sed præcios, non oblique, sed animi interno motu illuc devenisse, ubi omnem ætatem cum Mundo confligenti necessitas imposita sit. Id enim ut omnes post Christum Apostoli, ita Paulus præ aliis, conspicuo sui exemplo firmat, qui ut primum assumpsit Christianum, deposuit Judæum, devovitque se, suaque omnia Christo, renunciavit sibi suisque omnibus, admisit Christiana incommoda, privilegia veluti humanitatis penitus abdicavit, imbibit Christianam infantilitatem, sapientiam carnis omnem dedidit; tantum se æstimavit Christianum, ac Christi Apostolum esse factum, ut quicquid huc non conferat,

ab-

abominandum sibi merito putarit. Idem nos
 ó Fratres, idem agamus, qui in hoc ipsum
 Christo nomen dedimus, ut fide accepta, om-
 nia, quæ infra fidem sunt, calcemus, non
 antiquitate, non autoritate, non multitu-
 dine, non pompa, non acumine, non robo-
 re ullo moveamur supra expressum Dei ver-
 bum, minus contra hoc emoveamur, mini-
 me infra illud ad terræ formulas submovea-
 mur.

Ut autem de voluntate Christi possimus
 esse quam certissimi, seria, frequentissima,
 & accurata lectione sacri voluminis, ac im-
 primis Evangelici opus est, quæ non tam
 veritatis invictæ, & undique sibi concordan-
 tis convincat, quam cor ipsum in sui consen-
 sum & obsequium rapiat, rationem domet,
 affectus sopiat, & omnino à presentibus ad
 futura abstrahat. Hoc nisi faciat Sacer co-
 dex, memoriam quidem implebit, linguam
 instruet, & quas invitet aures speciose perso-
 nabit, nunquam verò è terræ sordibus quic-
 quam extollet, eo nocentiori errore, quod
 pietatis larva, cum docenti, tum discenti,
 turpiter imposuerit. Contra si Spiritus Sa-
 cer devote advocatus subintret, hoc potissi-

134 PARÆNESIS AD MINISTROS

mum curabit, ut sapiat cœlum, supra omne
 solum, vilescat præ hoc immoto omne tran-
 sitorium. Nam ut primum Religionis nostræ
 complexus (gratuita Dei misericordia, san-
 guine Christi parta) verbo annunciatus, fi-
 deque conceptus fuerit, nihil habebit prius,
 quam urgere gratitudinem, inflammare cha-
 ritatem, sustinereque patientiam, cui si sacra
 signacula accesserint, geminabitur ardor, sti-
 mulabitur studium, & decorabitur opus ve-
 lut incomparabili cruore illitis & expiatio-
 nis sanctitate conspicuis redditis, ut hinc le-
 gis contra nos chirographum deleatur, sed
 & Evangelii novum obsequium sanciat, lu-
 cidisque speciminibus obsignetur, adeoque
 parum in abscondito esse sinat Dei hominis-
 que fidelem conjunctionem & renovatam
 amicitiam; ut nisi sub mora fructus ferat, suc-
 cum perdidisse, nisi caleat, ignem suffocaf-
 se, nisi moveatur, animam exhalasse merito
 audiat.

O igitur tum demum beatum, felixque
 Sacrarum Literarum studium, quod perce-
 pta Dei gratia, timoris juxta & amoris ra-
 tiones impetumque, sub Spirit. S. conductu
 sumit, qui ita literas Sacras tractat, omnia
 post

post hac dedignatur, quæ divino beneficio ingna censet, hoc unum ambit, quî novæ generationis par sit, novo patri gratus, fratri Christo amabilis, & sociis divinæ adoptionis proficiens, cætera terrenæ massæ nauseans vivit & sub perpetua carnis fragilitate spiritum resumit, id unum animo obfirmat, Dei voluntate nihil esse æquius, salubrius, tutius, expeditius, indulgentius, sublimius, cui tacere, patere, & intimo consensu jungi liberimum sit, ac verè Regium, contra niti nova servitus, rebellio & certissimum exitium.

Jacta hac immobili basi, sive resignatione spontanea facta, concepto amore Christi fervido, & obsequio promptissimo oblato, facile est reliquum hominis Christiani, maxime verò Ecclesiasticis officium superstruere, scilicet credere sine exceptione, facere sine tergi versatione, pati sine murmuratione, sive uno complexu, Vitam omnem Doctrinæ conformare, & quod in ore est, opere palam contestari. Quæ enim rei indignitas major esse possit, & impostura evidentior, si nihil ejus, quod aliis persuasum volumus, animum nostrum afficiat: aut convincat, & quod

136 PARAENESIS AD MINISTROS

quod jubemus alios, à nobis sit alienissimum? Velut Medicus medicinas abhorrens; aut belli Dux, ad tympanum cohortescens; vel nauta mare fugiens, aut arator coeli impatiens, ita Ecclesiastes nihil ejus, quod profitetur, credens, exhibens & tolerans. Quod igitur Philosophorum quondam solenne fuit, ut ad sua quisque dogmata consono vitæ aliquo etiam monstruosissimo genere conspicerentur, velut Diogenes ille canis, dolium inhabitans; quod ordines etiam Anti-Christiani, gentilium æmulatione, multiplici vitæ irregularis regularitate, etiamnum hodie exhibent, id rectius & expeditius homo Christianus fecerit, si firmiter sibi hunc vivendi modum proponat, ac velut imponat, qui Christum, quem colit, referat, sive id, quod nostri voti, foederis, obligationis, officii, ne dicam oris, & vocis perpetuæ est, sistat, & evidenti exemplo aliis præferat. Huc contendamus ò Fratres, hic exerceamur, hic patescamus, & Religionis nostræ radices cordibus insitas, non folia linguæ innatantia Ecclesiæ probemus. Nam de Religione fari ac fabulari cujusvis est, religioni suc-

boup

cu-

cubuisse, in eam transmigrasse, pro eâ æmulari, ab ea occupari, per eam saturari, ei omnia sua credidisse & devovisse, non est, credite, unius ex millibus. Quid igitur mirum, si nostra hac mixtura & androgynæ fidei vitæque dissonantia minus persuadeamus quam velimus, cum nondum nobis persuasum liqueat? minus etiam impetremus, quam petimus, cum vix à nobis impetrari id posse constet? Veritas quidem in propatulo est, sed ægrè hominibus sine duce & exemplo conciliatur; Bonitas in conspicuò prostat, sed difficulter ab hominibus sine paratio & comite admittitur. Profecto aut diffidere causæ nostræ, aut in eandem injuriæ esse, aut exemptionis non nihil, aut fraudis aliquid subesse, & minus seriò agere videbimur, si nulla necessitate in regulas nostras ipsas peccemus, & secunda indulgentia destruamus, quod in aliis vivimus solícite exstructum.

Videamus ò Fratres duas saltem, quæ ut universum genus humanum, ita rem Ecclesiasticam, haud mitius affligunt, Pestes, Ambitionem & Avaritiam, hoc vitioso seculo impotentius etiam savientes. Hic quis

138 PARAENESIS AD MINISTROS

quis primum credat hominem humillimo Christo sacratum, ejusque puram humilitatem contemplantem, humilitatem Divinis oraculis & Apostolicis testimoniis commendantem, humilitatis studium profitentem, humilium locum tenentem, tumere etiamnum posse, videri ferre supercilium, audire ambire honores, insultare Fratribus suis non erubescere? O absurditatem, Christianum cum fastu! sed longe majorem, Christianitatis doctorem cum intolerabili Dominio, aut dominandi inexhausto desiderio! Nam quid frequentius nobis inculcavit, quid apud nos Christus deposuit sanctius, quam humiliari, subesse, parere, atque una dilectione omnes nostros ordines definire & absolvere, mundi habenas, clavos & remos iis relinquere, quibus datum, nobis futurae praerminentiae spem solidam reservare. At quod impotentius, quod insolentius quod inclementius sed & intractabilius reperias animal, quam sui officii oblitum & Christi humilitatem exutum Pseudo-Christianum, qui nulla certiore revocatione, aut apostasia evidentiore Christum abjecisse convinci potest, quam toto coelo

con-

contraria vivendi imperandique libidine, adeò ut cygnum atrum, tutius dicere liceat, quam Christianum ambitiosum.

Deinde quis sibi persuadeat hominem velut cœlo delapsum, cœlica exponentem, cœlica extollentem, cœlica offerentem, & huc invitantem, revocantem, deducentemque mortales, aliquid sibi in terris anxie quæsitum, avare collectum, tenaciter servatum velle? ô absurditatem, prædicare cœlum, & affectare terram! ô enormitatem, insectari opes, & coacervare sibi! Nempe Christi pauperiem jactabimus, ut ditescamus; & abstinentiam aliis persuadebimus, ut cumulatus ad nos redundet. Sed duplicatior Mundus est, fateor, quam ut hunc fucum admittat. Nec tamen non pudori nobis sit, si quicquam terreni appetamus iniquius, custodiamus arctius, desideramusve ægrius, aut luctuosius. Nos qui Christum indigentem Caput nostrum agnoscimus? Nos qui fluxa, vanaque, & molesta increpamus terrena omnia? nos qui cœlestis Patris cibum & copiarum cornu jactamus unice? nos qui ad cœlicas opes
&

140 PARÆNESIS AD MINISTROS

& æternam hæreditatem omnia nostra re-
 serimus, differimus & suspendimus? Quæ
 verò major Christiani magnificentia, quæ
 Ecclesiasticis generositas magis patula esse
 possit, quam auri argentive sitim, sacram-
 que famem non tam verbis aliunde mutua-
 tis, quam exemplo suo ac domestico, om-
 nibusque notorio eludere & refellere:
 Non ambire opes etiam faciles, non æsti-
 mare sponte oblatas, non curare forte præ-
 sentes, non retinere casu abituras, non
 revocare vi ablatas, non meminisse præte-
 ritæ consuetudinis, atque id Cœli, Chri-
 stique amore, quo acquiescat, & quam sa-
 tietatem omnibus conciliatum optet, non
 interim vel sordide vivens, vel alienam
 quadram sectans, vel bona concredita pro-
 digens, sed quod satis sit admittens, & li-
 beris rectè prospiciens, cætera in rem Chri-
 stianam conferens, omninò verò à dite-
 scendi studio, & opulentia congerie ter-
 renarumque æstimatione alienus & absti-
 nens, nonne & abstinens ille Monarcha
 nobis sit, & supra omnem fortunæ aleam
 elevatus! ubi contra terræ compedibus cor-
 de impeditus, sed Christianam libertatem

30

ore

ore jactitans se Christianum avarum, id est, album corvum facile probaverit.

Idem de aliis dicere possemus, sed his binis exemplis demonstrasse sufficiat, quanti referat nostra principia & coelica axiomata vitae consensu stabilire, & tranquillitatis exemplo aliis propinare. Hinc rectissime faciunt, qui ad Apostoli Pauli requisita sobrii sunt, frugi, modesti, hospitales, apti ad docendum, non vinolenti, non percussores, non sordidi, sed æquanimes, à jurgiis & avaritia alieni, suam domum administrantes, liberos habentes dicto audientes, summa cum gravitate, quod si quis enim suam ipsius domum administrare nescit, quo pacto Dei Ecclesiam procurabit! Scilicet omnis oeconomiæ ratio eo spectet, & familiæ communitas, conjugis conspiratio, liberorum cultus, omnium victus, amictus, mores, sermones eo tendant, tanquam cœlum respicientium, Christum reddentium, terramque dediscendum hominum, cujus nisi in ædibus specimen sit, & Ideæ Christi æmulatio, nunquam in Ecclesia fidem vel obsequium obtinebunt.

Ita-

142 PARAENESIS AD MINISTROS

Itaque Dei verbum domi vivat, hymni sonent, pax regat, liberalitas nutriat, patientia tegat, modestia ornet, abstinentia saturet, & foris licebit inclamare mundum, insectari vitia, exigere decimas, implorare opem, aut urgere obsequium. Dolendum enim nonnullas spiritualium familias nihilo à carnalibus quibusque differre: Non Sacrae Scripturae peritia, non precum assiduitate, non religionis cognitione, non frugalitatis custodia, non vestium modestia, non sermonum elegantia, non concordiae studio, non tolerantiae compositione non satietatis temperamento, aut hujusmodi S. Spiritus honorariis elucere, sed per omne terrenum coenum voluntari, nec minus in mundum acerbas querelas instituire. O nos indociles, si post memoratam Scripturam nihilo plusquam alii retinemus! O duros, si post exaggeratam Scripturam, nihilo magis quam alii convertimur! O incredulos, si post collatam Scripturam nihilo quam alii amplius persuasum nobis habemus! O denique ingratos, si post amplificatam Scripturam nihilo plenior gratiam quam alii referimus!

mus!

mus! Nempe alii laborent, nostri otientur; alii dent, nostri compilent; alii fileant, nostri latrent, alii abstineant, nostri saginentur, si non Mundi indulgentia, quæ durior, certe nostra voluntate, quæ mollior: Si non mundi liberalitate, quæ tenacior, certè nostra admittance, quæ paratior: Si non mundi promptitudine, quæ tepidior, utique nostra conniventia, quæ faciliior.

Data basi, & imposita dextre structura, ecquis durationi metuat, aut de soliditate dubitet? Et tamen hæc certa esse maximi interest. Scire quid agas, velleque id alios scire, Viri; nuncium remittere Mundo, fidemque Christo dare, Christiani; sed inter adversa omnia obdurare, Athletæ esse merito dicitur. Militis sit non ad lituum tantum gradiri, sed scalas etiam scandere. Nautæ non mare quietum fulcare tantum, sed sævum etiam permolere. Medici non languidis assidere tantum, sed & inter funera versari, & Christianus audiat, qui retro relictis veteribus, omnia nova parata non habeat. Hoc opus, hic labor est, ô Fratres, ut non tam simus ad reconciliatio-

nem

144 PARAENESIS AD MINISTROS
nem terrenam difficiles, quam belli leges
sustinendas faciles, tam mundi abomina-
tionem abhorrentes, quam obsidionum
perferendarum patientes. Hæc militiæ no-
stræ Sacramenta sunt, ferre famem, sub-
ire labores, audire infantiam, obire ex-
cubias, exponere vitam, expectare mor-
tem, nec unquam vel somniare quidem
deditionem. Majus est Cœli stipendium,
quam nos ulla terræ gleba corrumpat,
certius munimen, quam hostis minæ eli-
ciant, nobiliorque corona, quam ut hanc
temporanea molestia emere pigeat. Si ma-
joris est sperare cœlum, minoris utique sit
carere terra; si eminentioris, Legatum Dei
esse, sordidioris sit Mundo adulari; si fortio-
ris Leonem rugientem profligare, debili-
oris sit ad latratus canum commoveri: si
confidentioris ad Christum appellare, ti-
midioris sit ulli hominum auctoritati suc-
cumbere; si opulentioris, superne pasci,
sublevari, decorarique, egentioris sit hu-
mi mendicare, fodicare aut clepere. In-
felices animas, quibus in tenui labor est,
in sublimi tædium, in sordido voluptas,
in

in lucido nausea, in larvis metus, in tremendis securitas, quibusque Christus omnium instar esse possit, & dispersim per varia ludibria quies nequiequam quæritur. Quid est ergò, quod conquerimur fratres, & accusamus hæc infelicia tempora? Sata-næ stratagemata? at ille noster juratus hostis, cui fidere stultum sit, conciliari impium, succumbere infelicissimum. Mundi odium? at hic amare non potest, nisi pessimos, ferre, nisi turpissimos, laudare, nisi inspidos, nutrire, nisi maxime indignos. Centaurorum mores? at hi ab omni ævo in amicos Dei injurii, petulantes, rapaces, furiosi, simulantes vixerunt. Faunorum perfidiam? at hi Dei ignari, æqui expertes, conscientiae obliti, humanitatis nescii, liberalitatis incapaces, beluinam vitam plerique vivunt. Lapitharum insolentiam? at hi inferni stipendia merent, & Sodomæ Gomorræque scelera ut plurimum duplicant. Ecquid hic homini Christiano, quid Ecclesiastæ cum his talibus commune, quid tantillæ societatis, imo spei aut expectationis, quibus omnibus & singulis repudium scripsit, à quibus omnibus

G & sin-

146 PARAENESIS AD MINISTROS

& singulis insidias & vim expectat, odium
 & invidiam certa habet; Christianus non
 potest esse, qui Satanam habeat placatum,
 mundum propitium, centauros amicos,
 faunos benevolos, Lapithas clementes; imò
 Christianum non esse, est Satanæ, Mundi,
 Centauri, Fauni, Lapithæve vivere in
 modum. Jam si hæc subeunda nobis sunt,
 quidni communia hominibus onera, annonæ
 caritas, stipendii tenuitas, aeris insalubritas,
 loci incommoditas, conditionis humilitas,
 laboris vilitas, sed & incendia, clades,
 rerumque familiarium jactura? quæ hominem
 quenquam ferre posse, nos non posse, & perpetuo
 querulari, indecorum sit; scilicet Divinæ voluntatis
 interpretes, & obsequii conciliator, terræ
 fertilitati, aut temporis voragini succensere,
 & Christi stipendiarius, opima hujus terræ
 depascet, & animarum medicus valetudinaria
 humana defugiet, & soli negligens locum
 subinde mutabit, & humilitatis æmulus
 alta pulpita deposcet, & præmii certus
 otium sectabitur, quæ omnia non minus
 sunt absone auditu, quam nobis relatu
 videntur molestiora. Est equidem indigna
 ter-

terra, apud quam Ecclesia divertat, quæ
 fidos Dei servos audiat, & possideat, quip-
 pe salariis parca, injuriis larga, donariis
 sterilis, rapinis frequens, solamine ari-
 da, minis diffuens, gratitudine oblivio-
 sa, odii memor, laboris exigens, quietis
 invida, meritorum negligens, correctio-
 nis impatiens, & quæ alia sunt terrena de-
 decora, inter quæ Christus cum suis flu-
 ctuat, luctatur & polluitur: sed nos hæc
 talia ferre & experiri minime inconueniens
 est, aut ab officio nostro alienum, imò
 non sustinere improprium. Mirum nam-
 que sit, cum principiis, regulisve diame-
 tro oppositis differamus, non etiam sepa-
 rari vitæ decreto. ac mutuam obfirmari.
 Illis rodere Ecclesiam, & exenterare insti-
 tutum est, nobis tolerare, negligere & su-
 spendere injunctum. Illi, dum rident, fla-
 gellant, arctantque, ex præscripto faciunt,
 peccaturi, si sint nimis propitii, aut abor-
 tum facturi, si ex animo faveant: certè
 à norma digressuri, si bene velint, nos
 nisi dissimulemus, nisi deglutiamus, nisi
 provocemus ad Christum, nostri oblivisci-
 mur, si inducias etiam ambiamus, si pal-

148 PARAENESIS AD MINISTROS

pum tentemus, si munuscula interponamus, si obijciamus glaucoma, de subsidio coelico periclitaturi, Illi recte faciunt, quia nequiter faciunt, sagacis quidem sed iniqui dispensatoris exemplo: nos perperam facimus, si ad amissim omnia facta volumus, cum nos neque regularum mundi patientes neque experientes, nec subjectos iis esse, Præceptum Christi jubeat, exemplum doceat. Monstrum hominis facile dixerim, Ecclesiastem mundo amicum, deliciarum participem, cupediaram socium, & secularium lupercalium complicem, hac potius lege introducti sumus, ut edamus siliquas, bibamus vappas, induamus faecos, colligamus scorias, lambamus serum, possideamus scruta, edentuli, elumbes, exarmati, orbis scilicet catharmata, ludibria: sentices, vincula & custodias experti, lapidati, secti, tentati, gladii cæde interfecti, ovinas, caprinasque pelles induti, egentes, calamitosi, erunosi, per deserta & montes, antraque & terræ specus errantes, sed quibus dignus non fuerit mundus. Hæc eadem Christus

no-

noster prædixit, juxta ac subivit idem, & secuti sunt Apostoli, secuti Patres, secuti majores, iisdem vestigiis nobis subsistere & hæsitare religioni sit, militem vulnera decorant, corpusque æstu velut tostum, aut gelu concretum potius, quam coma pexa aut tricis striata; nautâ saluginem potius, quam aroma redoleat; arator lutulentus quam pictus potius compareat; quidni Christianorum antistitem, à Satana plagæ, à mundo vibices, à carne maculæ injuriarum deceant, quæ adverso vultu excepisse testetur, & interfuisse feriis cruentisque conflictibus edoceat? non pudeat paupertatis ob terrenorum neglectum, non tadeat infamiæ ob veritatem professam, non pigeat invidiæ, ob increpita scelera, non misereatur indignationis ob defensam rem Christianam, non doleat condemnationis ob recte curatum officium.

Sic Paulus noster, ut se Dei ministrum probaret, omnia perinde habuit, calamitates, adversa, angustias, plagas, custodias, agitationes, labores, vigiliæ, je-

150 PARÆNESIS AD MINISTRÒS

junia, gloriam & dedecus, maledicta & benedicta, quasi fallax, sed verus, quasi ignotus, sed notus, quasi moriens, sed vivens, quasi castigatus, non tamen eneatus, quasi dolens, sed gaudens, quasi pauper, sed multos locupletans, quasi nihil habens, omnia tamen tenens. O magnificum Paulum, sed facili contentum! Et cum quo magis lubeat, magisque expediat, tabernacula texere, quam cum Saulo quondam Pharisæo minas adhuc cædesque spirante, acceptis epistolis ad vexandos vinciendosque pios Damascum usque excurrere. Venimus profecto fratres mei, ad afflictissima tempora, quibus in Ecclesiam favor, in nos humanitas, in rem sacram studium, plurimum remisit, & infesta hosticaque signa haud obscura prominent. Venimus ad orbis velut faeces & sedimentum foetidissimum, ubi religioni pariter, & virtutibus bellum apertè illatum est. Venimus ad conscientiae disruptionem, æquitatis conculationem, veritatis exilium, probitatis algorem, charitatis ludibrium. Venimus ad

ECCLESIAE EVANGELICAE. 151

ad prædonum honoraria, furum immunitates, lenonum decora, proditorum salaria. Sed quid hæc omnia sive cum prioribus seculis communia, sive deteriora coluvie turbent confirmati in Deo mentem, remorentur tendentis ad Deum iter, sistant extricatæ laqueis animæ ad Deum volatum? quid Christus? hoc vobis amicis meis dico, inquit, ne eos timeate, qui corpus quidem interficiunt, sed deinde quid amplius faciant, non habent. Jus argutarum habeant, non habent bonæ fidei, jus nominum habeant, non habent integræ famæ; Jus linguæ habeant, non habent recti cordis; jus opinionis habeant, non habent certæ rei; jus mercedis habeant, non habent solidæ quietis; jus proscriptionis habeant, non habent quæsiti impedimenti; jus necis habeant, non etiam æternæ mortis; sed ubi sua absolverunt, sistuntur vel jam melioribus, vel mox posteritati, vel tandem Deo hic illicque judicandi. Beatam eorum sortem, qui nihil quod servatum volunt, perdere possunt; nihil quod perire expediat,

non perire expediat. G 4 non re-

152 PARAENESIS AD MINISTROS

retentum eunt. Quæ nos appetimus, illi dare non possunt; quæ habent, nos sponte deserimus, & vel obtrusa projicimus ac conculcamus; quæ nos æstimamus, illi eripere non possunt; quæ nihili facimus, tanquam opima spolia auferant; quæ illi sectantur, nos nugas dicimus; quæ calcant, habemus in deliciis; quæ nobis sapiunt, illi rident; quæ in haram fecernimus, sane depascant; quæ illis pinguedo, nobis macies est; quod illis terror, nobis hilaritas dicitur; quæ illis agilitas videtur, nobis torpor creditur. Bene scilicet inter nos agi statuamus, qui mutuum foetemus, mutuumque sordemus, nisi ubi Satânica libidine extra caulas suas nocendi ardorem extendunt, quod & ipsum nobis vitæ terrenæ negligentioribus tolerabile est.

Obfirmatis in hunc modum ad publicos affultus animis nostris, quam facile erit, Fratres, privatum pulverem abstergere, quam etiam lutum aspersum excutere. Non convolabimus catervatim ad unum cadaver, non omnem liticulam agitabimus, non

omnes

omnes scrupulos pensabimus, non omnem exactorem abigemus, non sectabimur omnem voluptatulam, non ad amissim omnia restringemus. Si tanti est Christo metere, omnis ager dabit segetem, nec ullibi aberit zizania. Si juris amor tenet, superest Dei tribunal, ibi etiam absconditorum decisio. Si liberorum cura angit, nunquam Deo deerit, quo pullos suos nutriat etiam inique fraudatos. Si tyrannidis odium stimulat, Dei longanimitatem vereamur, quæ laneis pedibus in vindictam pergit. Si sagina titillat, ablaetemus carnem, & indigentium jejunia mitigemus. Si reformationis vertigo subit, nostrum indomitum corpus, & hiulca familia, iudiciumque mutilum, opponatur. Scilicet semper erit quod agamus aliud, quod magis necessum, magis proprium nobis, ac humeris par sit, quod condonemus proximo, quod in Deum omnium rerum arbitrum rejiciamus rectius, certè deferamus tatus.

Optandum fortasse nobis esset, Fratres plus temporis aut olei, optimorum auctororum lectioni impenderetur, non quæ

154. PARAENESIS AD MINISTROS
caput nubilis phantasmatibus oppleret, aut
linguam finderet, ventremve inani vento
distenderet, sed Athletarum Christiano-
rum arduis agonibus, & seriis spiritus car-
nisque conflictibus, ac cœli terræque velut
mutuis odiis instructos ad hæc frivola &
quotidiana dedignationes redderet, ut mi-
nutiarum pudore & quisquiliarum nausea
revocati, laborem otio, silentium rixis,
colloquia epulis, satietatem nummulis, cha-
ritatem cavillis, quietem mutationibus, pa-
tientiam litibus præferre disceremus. Quid
enim fecerit, vel quid non fecerit, homo
unius tantum alteriusve lustri, & cui vix
suorum annorum acta, nedum Ecclesiæ
ætates, labores, luctæque cognitæ sunt?
Hæc scire, hæc serio legere & perlegere,
ac relegere expediat, quibus initiis enixa,
quibus incrementis adolescens, quibus
minis excepta, quibus remoris exercita, qui-
bus persecutionibus fatigata, quibus confli-
ctibus arctata, quibus miraculis servata, qui-
bus administris in hunc usque diem superfue-
rit. Hæc nescire, tam est probrosum, quam
periculosum; & tamen nescio quam mulpe-
ti

ti prætereunt. Ignorare, per quos vera si-
 des impugnata propugnataque sit, à qui-
 bus obscurata, restitutaque, vix Christiano
 liceat, Ecclesiasti indecorum sit. Quæ Pa-
 trum fidelitas, quæ Martyrum constantia,
 quæ exulum patientia, quæ Christi mili-
 tum fortitudo, passim ibi conspicua est?
 Quæ temporum vices, regnorum casus,
 sectarum monstra, terrarum clades, ho-
 minum labores se ibi offerunt? Quæ Spi-
 ritus dona, cœli beneficia, fidei miracula,
 veritatis triumphus, laborum successus undi-
 que prostant, ut vel voluptuarium sit talia
 novisse, si maxime usus ingens & evidens
 necessitas non alliciat, aut vigeat, saltem
 hujus temporis agones, Lutheri nostri
 Luctæ Herculeæ, & recentiorum marty-
 rum confictus? non nos lateant, qui-
 bus animum vel ad subitanea & im-
 provisâ instruamus, vel certe à marcido
 otio, aut sordido labore, vel turpi etiam
 fagina avocemus, rei que Ecclesiasticæ magis
 idoneum, firmum patientemque reddamus.
 Sin hæc omnino aliena à nobis sint, super-
 est quod agamus. Erudire, cicurare & co-
 ercere vulgus, sub „Verbi Sacramentorum-

156 PARÆNESIS AD MINISTROS

que ministerio operosioris, alacrioris & audentioris animi est, quam ullus Satraparum sibi persuadeat, aut ex nostris omnes libenter subeant. Quæ hominum ignorantia pariter & indocilitas sit, etiam à quibus id minime expectes, & dici satis nequit, & credi vix potest, aut inexperto persuaderi. Qui hominum mores & sermones barbari, blasphemii, lascivi, avari, contentiosique, etiam ubi melius speres, sint, nec explicare licet, nec propalare libet, nec minus versato inter homines verisimile fiet. Quæ improbitatis obstinatio, correctionis invidia, veritatis odium, vitiorum armatura, consuetudinis violentia, ubi etiam minime decebat, sit, neutiquam ullus hominum quam contrariis armis exercitus capiat. Hæc si loco suo finas, conscientia palpitat, rationesque in confuso sunt. Si tangas, tantæ molis negotium reperis, cui centum manus, & totidem ora, oculi, auresque non sufficiant. Si quid vel tantillum moveas, tantum habes undique obloquii, supercilii, argutiarum, suspicionum, risus, injuriarum, ut abdica-

to

to tam invidioso labore, tui & pudeat ipsum & tædeat, non minus tamen sermones tuos irritos, admonitiones cassas, absolutiones projectas, preces evanidas, & præpostera omnia, & consuetudinaria cum gemitu & lacrymis intuearis.

Hoc demum nos excruciet, ô fratres, hoc angat & affligat, hæc infelicitatis nostræ summa esto, non tantum proficere, quantum voti sit, & tot, tanta cæli temporisque beneficia ad rariores, quam volumus, redundare. In luce cœcutire homines, in veritate defraudari, in mansuetudine furere, in literatura brutescere, & de felicitate identidem gloriari infelicissimos; libertate, mancipatos; religione, profanos. Parum sit, quod in nos decernunt homines, nos nihil hominum fecerere posse; nullos Christo lucrari, oneris esto. Minimum sit mercedem perdere; apud Christum ipsum audire inutilem servum, grave esto. Tenue sit habere duos humanarum rationum magistros; divinorum illos, negare denarium, tristissimum esto. Hoc si multos angeret, minus esset contentionum, minus supplicationum, mi-

58 PARAENESIS AD MINISTROS

nus mutationum, minus etiam querela-
 rum. Hoc si tangeret, fortis, loci, sa-
 larii, hominumque tolerantiores redderet.
 Hoc si ureret, agellorum, vinearum, præ-
 torum, armentorum, obsoniorum, lanæ
 linique minus avidos, emaces tenacesque
 efficeret. Hoc si saperet, de sorte queru-
 los; sciendi curiosos; iudicii præcipientes;
 censuræ prodigos, in circulis, conventi-
 bus, & conversatione multos compesce-
 ret, & rem Christianam undique promo-
 veret. Superfunt tamen tales, cujus gra-
 tia Christo nostro sit, ut minus numero-
 si, qui seria cœli cura, & aperto terræ ne-
 glectu, animarum solitudine, & corporum
 oblivione, lucri Christiani siti, & bo-
 norum fluxorum nausea, laborum durissi-
 morum ausu, & mollitiei abdicatione, ob-
 securitatis appetitu, & honorum fuga, Chri-
 sto rectissime serviunt; sed iidem solenni
 terræ formula, & prædicto Christi, ordi-
 narioque bonorum exemplo, ab hypocri-
 tis irrisi, thraſonibus impediti, populoque
 neglecti, quorum olim merces magna erit
 in cœlis. Hæc qualiacunque communica-
 re vobiscum, optimi Fratres! post explica-
 tam

tam de Religione, Disciplina, & Literatu-
 ra meam mentem, haud abs re visum est;
 nulla equidem Dictaturæ alicujus ambitio-
 ne, nulla exprobrationis libidine, nullo
 ostentationis morbo (quod novit is, qui
 nos omnes novit) sed primum in solamen
 tot alienorum à nobis animorum, & qua-
 lecunque supplementum difficillimi sæculi,
 quod tot falces nostris agellis immittit, &
 tempestatibus crebrioribus segetem corrup-
 pit; ac antidotum multis cavillis, injuriis,
 molestiis ac exinde mentis ægitudine oppo-
 nendum. Deinde, ut eriperem tela cum
 adversariæ Religionis calumniatoribus Jesui-
 tis & consimilis farinæ molossis: tum no-
 stris etiam cyclopibus dicaculis, & vineæ
 Domini percis, tum novis quoque ac in-
 ternis cuniculorum ecstatorum & Enthu-
 siasticorum machinamentis, & acerbis mor-
 sibus, qui ex nonnullorum somnolentia de-
 multorum vigiliis; aliquorum corruptio-
 ne, de numerosorum integritate; pauco-
 rum perfidia, de plerorumque fidelitate,
 iniquius & virulentius sentiunt, blaterant,
 atque ob id Verbi ministerium & sacra-
 mentorum efficaciam elevant; quibus no-
 stram

160 PARAENESIS AD MINISTROS

fram imbecilitatem nostrasque festucas non
dissimulamus, sed sponte obijcimus, ut
sceleratos se, & trabenses evidentius agno-
scant. Denique me ipsum etiam suspicio-
nibus eximerem, mihi adversum ex rectio-
ris vitæ desiderio, abusu notatione, in-
scitiæ indicio, & personarum culpatione,
natis, quasi in religione vacillarem, in or-
dines incurrerem, literis bellum, & rebus
ipsis odium indicerem, à scopo tamen meo
immane quantum alienis, & larvam tan-
tum meam, id est, fictam sententiam, à me
longe latèque remotissimam impugnantibus,
ut de me incognito audientes, si minus mi-
tius, quod humanitatis & gentium juris es-
set, sperarent, sane certius quid atque adeo
veritati rei consonantius intelligerent, id-
que in publicis Ecclesiæ oculis aliquando
prostaret. Superfedere operâ potuissim,
& res meas agere, vel aliorum curæ talia
relinquere. Silere etiam, & quæ mutare
non liceat, pati, dum modo Christo nihil
intereat. Plurimum scilicet nostra interest,
quem Satan petit, Christus defendat; quem
calumnia mordet, veritas juvet; quem æ-
mulus operit, amicus introspectat; quem
præ-

præsens sepelit, postera eruat ætas. Nam & habuisse quædam, & potuisse aliqua, & legisse nonnulla, & vidisse tantula, & voluisse qualiacunque, & impetrasse speciosa quædam, secundum Mundi phantasiam dicere possem, qui hæc omnia sciens, volensque resorbeo, & in manus Jesu Christi nostri consigno, nec aliam quam ex minoribus minimisque gratuitam portiunculam supplex imploro, tantum hujus amorem, tantum hujus honorem, tantum hujus exemplum, tantum hujus sequelam mihi urgere, & inclamare misericordiam mihi reliquum sumo. Nam cum de Religionis norma, ejusque certitudine, & invincto robore jam & firmus instructi, & quotidie accuratis scriptis instruamur amplius, cum nullus etiam non sumptus, opera, calamusque veritati defendendæ impendatur, jam, jam nos alios fratres, & minorum donorum modulis dotatos intromittere, hæc jam amplecti, & omni cultu fovere necessum est, nulla alieni fermenti infectione, nulla cathedræ iniquius pressæ offensione, nulla etiam præjudicii præcocis alteratione concessa, sed certa fide, spe infallibili, subsidiis exploratis, patienti-

162 PARAENESIS AD MINISTROS

tientiaque obdurata comitantibus, ad Christi nostri trophæa per ignem & aquam penetrandum.

Adoro te Jesu Christe Fili Dei, Patris Sapiaentia & Interpres, humani generis decus & beneficium, propitiatio & exemplum, Salus & Regula, Doctor & Rector, Via, Veritas, & Vita, ut, quam habuisti semper, habesque æternum in cœlis terrisque potestatem, eam etiam hic pro sapientia & amore tuo exeras, jubasque vera, quæ revelasti, firmiter nos credere; bona quæ credidisti, constanter profiteri; falsa, quæ patefecisti, prudenter amovere; mala, quæ prohibuisti, accurate evitare; ut Evangelii beneficio, qua animæ salutem, qua corporis custodiam fidenti, obsequentique pectore perfruamur. Da nobis famulis tuis, ut & credamus vere, & vivamus pie, & proloquamur libere, & suf-

sufferamus patienter, & admittamus
 candide, & deseramus prompte, &
 addicamus nos Tibi sancte, & re-
 nunciemus Satanæ integre. Instrue
 Ecclesiæ Doctores, roborata Ecclesiæ
 Rectores, vegeta Ecclesiæ nutritios,
 multiplica Ecclesiæ alumnos, sufful-
 ci Ecclesiæ columnas, substitue Ec-
 clesiæ administros, pelle Satanam,
 neca mundum, subige carnem. Do-
 na fidem, accende charitatem, at-
 trahe spem, sustine patientiam, sug-
 gere voluntatem, adjuva vires, ele-
 va conatus, continua constantiam.
 Vita vitæ, da vivere sancte! Mors
 mortis, da mori beate!

Vos vero Fratres in Christo charis-
 simi, per philanthrophiam Dei oro ex animo,
 hæc, ut candide communicavi, ita æquani-
 miter admittatis; qui sapientia prævaletis,
 erudiatis; qui prudentia præstatis, informe-
 tis; qui usu rerum præpolletis, admonea-
 tis; qui ingenii acumine præcurritis, attra-
 hatis; qui linguæ promptitudine præcelli-
 tis,

Chri-
 n pe-
 Dei,
 ma-
 pro-
 Re-
 veri-
 sem-
 ter-
 hic
 , ju-
 mi-
 cre-
 alfa,
 ere;
 evi-
 ani-
 odi-
 tore
 ulis
 iva-
 , &
 suf-




164 PARAENESIS AD MINISTROS

tis, succurratis; qui operum dexteritate prævenitis, supponatis; qui futurorum sagacitate prævidetis, abducatis; qui muneris gravitate præponderatis, sublevetis; qui meritis præstatis, crescendi copiam detis; denique omnes & singuli, majores & pares, superiores & æquales, quotquot idem Christus, eadem Ecclesia, eadem Religio, idem Ministerium, eademque voluntas connectit, in me docendo, formando, monendo, fovendoque, nolitis esse difficiliore, nisi me docilem minus, ductilem, obsequentem, officiosum & gratum reperiatis.

Cæterum, cum hæc causa omnis cum Christo conjuncta mihi credatur, cujus honorem & amorem unice specto, primum in Christo fortes vos esse, & seculi malis obnitentes hortor, postea ad ovile Christi contra tot insidias vigilantes; excubare & inclamare lupos, dehinc vitam innocentem cum Christo degere, & obtrectatoribus os obstruere, denique nullis laboribus sub Christo parcere, quibus Ecclesia ornari, proximus juvari, posteritas curari, & salus publica propagari queat. Cui si vel tantillum à me accesserit, & vel uni ani-
ma,

mae uno momento, una aliqua pia & sancta cogitatio, ex mea suggestione exsurrexerit, voti religiosi me reum ad Aram Christianam lubens, meritoque obligavero, &c.



PLAN-

❧ (166) ❧

PLANCTUS
JEREMIAE
RENOVATUS,
D. HIERONYMO

Jm Hoff/

PRINCIP.

JUVENTUTIS GUELPHICÆ,
Ephoro, Sacer.

Cum arduum sit homines regendi à Deo impositum munus, tum corrigendi, quod illi plane individuum, longe difficillimum est. Nam cum sua quisque, sive studia, sive mores, qualiacunque sint, vel probari vel tolerari omnino velit, fieri non potest, ut is, qui ea improbatum aut emendatum eat, non in omnium odium & invidiam incurrat, quæ animo meo post tot serios, & molestissimos conflictus cogitanti, non aliud convenientius quam Jeremiae

PLANCTUS JEREMIAE RENOVATUS. 167
miae Prophetæ exemplum occurrit, cujus
acerba hæc querela est: Heu mihi, ma-
ter mea, quæ me hominem omni-
um mortalium rixis & litibus expo-
nendum peperisti, qui, cum neque
creditor sim, neque debitor, omnes
mihi maledicunt. Et cum Deo qua-
si exoptulatio. Decepisti me, Jeho-
va, deceptumque tenes ac vincis,
qui quotidianæ sim derisioni omni-
bus mihi illudentibus. Nam quan-
docunque quiritans crudelitati & sæ-
vitiaæ occlamo, sunt mihi Jehovah di-
cta quotidiano probro ac ignominia.
Erat namque rebus tum Judææ perditissi-
mis, deploranda Jeremiæ conditio, cui o-
mni ordini contradicere, & ni resipiscant,
exitium minari impositum, refragantibus
non iis tantum, qui malis innutriti atque
assuefacti jam essent, sed maxime fremen-
tibus, quorum culpa & intemperie tantum
corruptionis & dissolutionis esset in vectum.
Nec id Anathoti tantum, sed ipsis Hieroso-
lymis, & Leonum lustris, quod ipse etiam
De-

DEUS durioris provinciae agnovit, & Jeremiae, dum in Patria ringeretur, praedixit: Si cum peditibus currens defatigaris ab eis, quo pacto cum equitibus certabis? & si istud tibi in pacato solo, in quo securus es, accidit, quid in Jordanis fastigio facies? nam tui etiam fratres, paternaque familia, te ipsi quoque produnt, te pleno clamore insectantes, quibus noli credere, quamvis te comiter alloquantur: sive, ut eleganti Paraphrasi Megalander noster Lutherus expressit: *Lieber Jeremia/ fürchtest du dich zu Anathot/ was will zu Jerusalem werden/ da die hoffärtigen Tyrannen wider dich seyn werden?* In hoc ergo Exemplum mixtae cum humana imbecillitate fortitudinis & constantiae intuenti mihi, & agones Prophetæ, sub Divino conductu, & Veritatis triumpho maximos, cum minimis meis velitationibus conferendi, eadem profecto fabula à diversæ ætatis mimis agi, iisdemque Satanae machinamentis instrui visa est, cujus contemplationi, ut aliquod hoc Domini-

ni-

nica Passioni sacro tempore impenderem, operæ pretium me facturum putavi, si nullo alio, hoc certe meo usu, ut in Christi Agonothetæ nostri & luctatorum suorum Exemplum defixus, & patientius in arena subsisterem, & fortius de victoria condenterem, & certius propositum brabeum expectarem. Paulus Tarsites pugil in his carceribus exercitatissimus, apposite dixit, extrinsecus præliis, intrinsecus timoribus premebamur, quam enim à carnis humanæ teneritudine alienum, & civili prudentiæ horridum sit, unum multis ac prope modum omnibus opponi, nemo facile dixerit. Argumento nobis sint Moses, Elias, Micha, Jeremias, Jonas, Paulus, & alii, non nisi stimulis & minis ad hanc duram provinciam acti, ut furdis fabulam narrent, cæcis colorem exponerent, deliros ad sanam mentem revocarent, cicurarent furiosos, ebris obstreperent, Prædones de justitia, Lenones de pudicitia, Latrones de clementia edocerent, scilicet Leonum rictibus manus impune injicerent, aut torrenti rapido corpus suum exponerent, nec enim ratio humana, quam laborem inanem cum certa perniciæ conjunctum, sibi animo

H

pro-

170 PLANCTUS JEREMIAE

proponit, ignara superni muniminis, & angelicarum excubiarum, quibus ut ut prævalere universus Orbis haud queat, non tamen nisi anhelantibus & palpitantibus, adeoque ad extrema redactis agonistis præsto esse ea solent, & conspicua fiunt, ut Divinae manui omnis gloria in solidum cedat. Dum ergo cunctatur Deus, suosque exercet, quos non æstus internos & angores perpetiuntur? Tu ne unus plus aliis tam multis sapias, tam oculatis & nasutis? tu ausis tentare, ad quæ cordatissimi refugiunt? Tu movere Camarinam, quam ipsi foricarii abhorrent? Tu crabrones irrites, quos procul declinant sagacissimi quique? Itane certus es rerum tuarum, ne fallaris? Adeone hæc hominibus obtrudere necessum, non relinquendum arbitrio? An alienæ conscientia, judicio consilioque tantum detrahendum, ut tu unus religione teneris, Olympum alter Atlas unus suffulcias? non tempori aliquid sit impendendum, necessitati parendum, maturitati reservandum, resipiscentia imo & revolutioni seculi suspendendum? nonne tolerare etiam præstet, quæ mutari nequeunt, quam

in-
pro

intempestivis medicinis exasperare, ac velut oleo flammam restinguere? Hæc & id genus alia multa, animum non absurdi Judicii, nec opinastrium, aut singularitatis appetentem lancinant, & in diversa agunt, ut non tam tædio incredibili afficiatur, mortemque appetat, quam diffugium, si qua rima pateat, meditetur, vel etiam in mali dissimulationem, & si non plane consensum, tamen inclinationem, se sollicitari trepidus sentiat.

Hic profecto Vocationis Certitudine ut quam maxime opus est, ut obvelatis rationis humanæ oculis, & obturatis ad carnis obstrepentis objectiones auribus, in Divinæ voluntatis officio, & conscientiæ inviolatæ testimonio consistas, non quid alii committant, vel omittant, probent aut culpent, dissimulent aut excusent, ferant, aut excutiant, sed quid tibi Deus stylo sui Verbi in cor intimum consignarit, quo æstues clauso in ossibus igne, quid ipse rectum verumque animo probes, & quod apricari in tribunalis Christi sole aliquando possit, ei tenaciter inhærendum esse tibi proponas, memor vocis Jesu ad Petrum: Si alium volo

manere, quid ad te? tu sequere me, tu nempe sequere, cui hæc datum est nosse, probasse, edisse, cui obnoxia bonis conscientia, abhorrens à malis animus, mens fida, non cursus oberrans, non ictus aerem verberantes, sed Christo devotum pectus abs te poscit, munerisque ratio exigit, ut marpesiæ instar cautis stes, & cum Luthero: *Hie stehe ich / ich kan nicht anders / Gott helffe mir /* cordata humilitate pronuncies.

I.

APER VULGI.

ERgo in caveam protruso primus omnium occurret Aper sylvestris, streperum & fœdum animal, non perinde formidabile, vulgi incompositi Emblemata, quod supernorum fastidio humum fodiat, & glandibus pascitur, quibus si abigas, grunnit, & dentes acuit, sin vastare sinas, magnam Ecclesiæ agris & vineis cladem atque noxam infert. Huic in ventris sagina, & carnis luxuria omne punctum positum est, ad quod consuetudine potius & temporis vicio,

tio, quàm ulla regula ducitur. Raro tamen sic impetu fertur, ut inclamari se non patiat, & exprobratione etiam ferri non lit, quod foeditatem suam magis dissimulatum, quam excusatum, toleratum, quam ornatum contendat. Hinc nisi furis alienis irritatum & accensum, Prophetarum patiens sæpius fuit, interdum etiam correctionis capax, & medicinam admittens, scilicet ubi publica clade, cujus in sacris frequentia sunt exempla, fuit coercitum. Summa malorum est, vitii per traduces continuata propagatio, mala pejorem, & hac pessimam progeniem substituente, & parentum indulgentia in liberorum nequitiam degenerante, quæ veluti epidemico morbo paucos à strage eximit, difficillimam secessionem emendationis vitæ pugillo reddit. Credibile est, hunc turbæ inconcinnum strepitum Anachoretis initium dedisse, quod prima fronte sacrum silentium in aliud æque, si non magis noxium portentum est conversum; adeo horsum versum, sursum deorsumque vulgus vertas, aprugnum reperias.

At ita quidem plebeji desipiunt, quod JEHOVAE viam, quod DEI sui sententiam ignorant. Aggrediamur Optimares, eosque alloquamur, non ii JEHOVAE viam, ii DEI sui sententiam tenent? si verò & jugum fregerunt, & vincula ruperunt.

II.

LUPUS OPULENTÆ
potentiæ.

Hic lupus in fabula est, subdolum juxta & impetuosum animal, exercere Prophetam Dei, & elinguem reddere plurimum doctum: Mirum in perpetua ingluvie semper famelicum esse, & ferendis urgendisque legibus occupatissimum, non nisi Exlex & dissolutissimum videri. Certum itaque est, nullum credere Deum, cuius tamen jura & sententiam obtendit; non formidare judicium, in quod confidentissime delinquit; non misereri communem populi calamitatem, cujus laniatu sagi-

natur; non revereri posteritatem, cujus flagellis tandem & historiæ stylo exponendum se probe novit; nulla pudoris religione, humanitatis sensu, honestatisve ratione teneri, quod omnium flagitiorum impunitatem, & ab officio Christiani immunitatem sibi sumit; scilicet Legem & Licentiam, Censuram & Cæsuram, Conscientiam & Conscientiam, constituta prostituta nullo discrimine habet, de quo si quis Jeremiam audire malit, præsto is erit Cap. 7. 8. 6. 10. 7. 24. 6. 15. 6. 7. 5. 28. 5. 8. 5. 27. 9. 5. 9. 3. 4. 22. Cui jam libera lingua fraudi esse non potest, dum sui & nostri temporis mores eadem opera Graphicus descripsit. Atqui non in fabula lupus est, sed ipse fabulas facit, profecto tragicas, cum ovinam pellem induit. Nihil hoc voce blandius, pollicitis liberalius, officio paratius, affectu condolentius, consilio fidelius, moribus innocentius credas. Sin exuat ovillum, nihil ululatu efferatius, præstando tenacius, juvando cunctantius, repellendo dirius, eludendo versatilius, vitæ commercio maculatius, & iniquius vidisse experieris, quippe, mendacii utitur præsidio, &

in falso latitat, quod illud tamen e-
 verret grando, & hanc latebram in-
 undabit aqua. Hujus interim carnem,
 & intimos animi sensus Sapiaientia ipsa Ca-
 pit. 2. v. 11. exprimit: Nostra vis justiti-
 a lex esto, quandoquidem, quod
 infirmum est, inutile arguitur. In-
 fidemur justo, quandoquidem no-
 bis est incommodus, & nostris ad-
 versatur operibus, nobis peccata in
 Legem exprobens, & disciplinae no-
 strae delicta culpans, nostra cogitata
 coarguit, nobis vel aspectu gravis,
 quippe cum ejus vita sit aliis dissimi-
 lis, & dispar institutum, pro adulte-
 rinis habemur ei, abstinendus à no-
 stro commercio tanquam à re impu-
 ra. Contumelia cruciatuque eum
 exploremus, ut ejus modestiam co-
 gnoscamus, & de patientia judice-
 mus &c. Hæc genuina Lupi facies est,
 cui foris justitiæ laryam prætendit, dex-
 trum latus Gorgonis, potentiæ capite ar-
 ma-

matur, sinistrum divitiarum censu onustus, prominente ingluviei ventre, & pinguedine undique protuberante. Quis vero credat, in publica egestate intumescere posse lupum; communi fame dies noctesque epulari; omnium nuditate, auro ostroque, purpura & bysso nitere, desolatione terræ, domos domibus conjungere, fundos fundis continuare, eo usque, ut nullo restante loco, solus in media terra sedem habeat, nisi idem hunc præcipuam pestem, & cladis publicæ summam intelligat? Ridet nempe in Ecclesiæ planctu, augetur ex salutis publicæ tabe, cujus mors, vita Lupi, ut vicissim Salutis vita, Lupi mors est, materia tandem & nomen funestæ tragœdiæ futuri, ubi Dei ira exardescit pestilentis geniminis excidio, & anathemate ad posteritatem notabilis.

SIMIA HYPOCRISEOS.

AT enim jam infiluit caveam tertia Bestia, Simia, nota hypocriseos, si minus oris laniatu, sane unguium lancinatione & acumine formidanda, humanae speciei simillima, quam quò aptius simulat, eò pejor est, duplici corde, lingua, affectibus, manu, mendacium sibi mutuum subinde exprobrantibus, facies, vox, gestus, habitus, manus, omnia bona, nisi quod ipsa pessima. Foris Angelus, domi Diabolus, deterior vero si Angelus, quam Diabolus. Hæc est, quæ sapientiam sive sacram, sive profanam jactat, cujus si penetralia intuearis, duobus membris constare, vertiginosa speculatione, & strepera loquacitate, sive gemina vanitate animadvertes.

I. Blandula primum est, & patellarum appetitu, vel Lupis se insinuat, cum quibus ululat, & ut faciat delicias, in utrumque latus claudicat. Horum ferociam generositate, ebrietatem hilaritatem, libidinem recreationem, rapinas parsimoniam, luxum

xum lautitiem, obscœnitatem comitatem, vitulationes festivitatem appellat. Hinc major Lupo securitas, cujus nequitia à Simia benedicatur.

2. Sin triclinio exeat, & suum podium incendat, jam tota cœlesti igne fervet, ultra mundano aere diffunditur tota, tota miserationis aqua diffluit, ac humilitate terrena tota in aërem demittitur. Sed tangere noli, aut mysterium prodere, namque fulmen ad manus est, quo illicò ferit, & Olympum tartaraque in arbitrio habet, si mitissime agat, hæreseos aut fanaticismi maculam aspergit, quam nulla fidei contestatio, nullum Ecclesiæ testimonium, nulla facti evidentia eluat.

3. Domi verò suæ quam cutem curat, quam ventrem pascit, quam obscœna lincit, quam numeros numerat, quam in sinu gaudet, quam retia nectit, quam fumos venditat, quam fistulas fabricat, quam suis puppis, suis formosulis, suis simiolis indulget? Cum tota lex sit, totaque censura aliis, sibi, suisque totum privilegium est, certo argumento, quem foris crepat Deum intus non esse, & quem extra correctum

lit Mundum, intra se totum possidere; I-
gnotis sanctulam videri, domesticis pro-
fanam, vicinis molestam, omnibus lubri-
cam deprehendi.

4. Interea histrioniam suam agit, mi-
ra profecto agilitate, ut quæ os renidens,
oculorum imbrem, suspiriorum vaporem,
gestuum omnes phaleras, & artem funam-
buli omnem & præstigiary species in nu-
merato habeat. Cor verò, quicquid mul-
tipliciter corticatum non tam cancellatum
ad Momi præscriptum credi vult, quam ob-
via manu gestare quovis titivilitio venale,
ut miraculo propius sit vivere toties execto
corde posse, nisi excors plane esset. Quam
vero aliam personam Simia ageret, quam Si-
monis, non Petri illius, aut Cananæi, aut
Cyrenæi, sed qui Sacri Spiritus dona argen-
to licitavit, ut iterum venderet? aut iis mu-
ros incondite trullifaret, vel incrustaret pa-
rietes & sepulchra? Si calamo opus sit, car-
bone felle, cicuta & sanguine mixto atramen-
ti loco utitur, quo tamen non nisi dulce No-
men Jesu, panaceas mentis, ad Deum ra-
ptus, soliloquia, jaculatorias preces, corda-
lia, hortulos paradisi, gemmasve Hieroso-
ly-

lymæ describit, non Regni Christi incremento, sed suo lucro, famæ, ventris, honorum & deliciarum proventu. O viperina progenies, prava adulterinaque natio! Genus improbum, cujus plumæ graviores sunt, quam Germanorum hastæ, & arundines penetrantiores, quam Scytharum sagittæ, beatos, quibus nihil litis, nihil etiam necessitudinis cum hæc mala bestia intercessit.

IV.

LEO TYRANNIDIS.

Audio tamen (nam non vidisse indulgentissimo Deo meo debeo) truculentiorrem aliam feram in caveam immitti, quæ non singulos homines, sed catervas, integrasque myriades dilaniet, Leonem scilicet Tyrannum. Ad hoc sc. nomen exhorrendum est, Leone namque rugiente, quis non metuat? quoties portenta illa & voragines hominum prisca ævi animo reputamus, quorum major sævities, an orbis patientia fuerit, in incerto relictum est. Atqui hæc fera suppliciiis & cunctis suæ diritatis instrumentis plus incrementi regno Dei, & cœlitum choro, quam ulla humana felicitas dedit. Adeo cœli iter cruentum potius

tius quam voluptuarium, & olim fuit & etiamnum est. Miseram vero mortalium reliquorum sortem, quibus hoc cœli beneficium non cedit, & tamen infelicissima servitus hæc servienda est, ut unius Lanienæ obijciantur. Quid verò unius dico, imò totius satellitii ingluvici, quo hanc immanem feram stipari ajunt.

Nempe Leopardos adesse ei ferunt mixtum genus, superos & inferos palam negantes. Urfos gregem deglubentes, Pantheras fœdè maculosas, Hyænas blande quidem, sed cum certa pernicie invitantes, Cercopithecocos adulantes, lususque funestos facientes, Vulpes clanculum clepentes, aliasque humani generis pestes, quibus & arcana status, & domus flagitia administris peraguntur.

V.


ANTICHRISTUS GE-
MINUS.

His se immiscet monstrum prodigiosum. Hifrons, hermaphroditum, omnium, que terra tulit & Sol vidit pestilentissimum, quod nondum nomen convenientius quam Antichristi invenit. Lupus balans est, & ovis ululans, ovillo scilicet lupus blandiens, & lupino aries formidabilis. Miles togatus est, & Sacerdos armatus, imperio religat, & religione imperat, profana manu thuribulum, sacrata sceptrum tenet, vi pia, pietateque violenta perinde terribilis, plumato gladio non minus quam fulgurante charta funestus, edicto & interdicto paria minax & ferox, & ex Actione religionis obtentu æque ac religiosa nundinatione humano generi portentum noxium. Nempe inter Epicurum & Hypocritam Christus medius eliditur, & status ratione, ab omni rationis divinæ humanæque statione dejicitur, non alia belua majus agmen Prophetarum & Veritatis testium depavit, non stragem trifidorem Behemoth ullus dedit. Pestis hæc orbis

orbis Caino fata, & per Chamum regenerita, sub Nimbrotto adolevit, & aliis atque aliis succollantibus contra semen benedictum invault, Dei populum per Jeroboamum divisit, varieque afflixit, denique Babylonem destruit: Sole ipso Christo exorto, nebulas per varias sectas effudit, & passionis Eclipsin intulit, sed brevem, & felicissima Evangelii luce commutatam, qua iterum, atque iterum tormentis & fraudibus exercita, & obfuscata cum superiore aetate denuo miraculose Divi Lutheri Ministerio emerisset; exitium profecto Ovinæ larvæ paratum videbatur, nisi Lupina illico succurrisset? Versa itaque scena & mutato nomine, res suas jam omnium prædæ expositas servavit, & nos perdidit, quod referre tædiosum, juxta & invidiosum est, nam ut maxime feralis sit, præcones tamen suos, gnathones, tibicines, & pedissequos habet, quibus cruentam hanc impostoriam peragit, non nisi glorioso Christi ad judicium adventu finiendam.

Hæc sunt, quæ spectatum admissio, & Lanistarum cruentos ludos experto, ruminare visum est, mitigando dolori meo, quem ex tristi rerum Ecclesiæ inter continua Dei fla-

flagella intuitu concepti, conceptæ & firman-
 dæ Constantiæ in semel cepto Dei, non nisi
 morte absolvendo opere supponenda, quæ
 si cuiquam candido & cordato non ingra-
 ta & absurda visa fuerint, jam pretium suum
 habent, sed ea inviolabili lege, ne cujusquam
 hominis vitio, sed vitiorum ideis, nec tem-
 pori aut loco ulli, sed mundi hujus scenæ &
 periodo imputetur, sive ut sophisticer, nulli
 concreto sed abstracto tribuatur, per Cha-
 ritatem & Prudentiam Christianam o-
 mnem, jurata integritatis
 fide, precor.



☼ (186) ☼

VIR BONUS

AD

LAPIDEM
LYDIUM EXAMI-
NATUS.

D. MARTINO
GOSKY,

AUGUSTÆ DOMUS

ARCHIATRO,

POETÆ IMPERIALI

Viro incomp. sacer.

BOnum esse ac videri plurimum differre,
non tam sapientum documentis, quam
vitæ nocementis didici. Hoc multorum est,
illud oppidò quam paucorum; hoc tempo-
ris præsentis & brevioris ævi, illud futuri, &
duraturi; hoc opinione mobilis vulgi, illud
recto posteritatis iudicio; hoc rebus pacatis
& affluentibus, illud turbidis & arctis; laude
hoc sæpius, illud vituperio, sed transitoriis

con-

constat : hæc res cum frequenter non tam spectatoribus & applausoribus hujus fabulæ, quam ipsis actoribus imponat, & mutata subinde scena aliam atque aliam larvam induat, digna indagine nostra visa est, cui aliquid dissertationis impenderemus; cumque fortè in manus Lapis Lydius incidisset, ad quem metalla explorantur, Bonos Viros, qui fama theatrum præfens implent, affricare lubuit, cum privata evitatæ credulitatis dulcedine, tum publica detectæ vanitatis utilitate.

Bonos omnes esse, neminem malum, opinione receptum est, nec quisquam negare ausit, nisi qui Sapientes stultos esse, Judices injustos, Mercatores iniquos, Artifices indoctos, & id genus alia, suo periculo pronunciare velit. Bonos se omnes jactant, boni creduntur, laudantur, præmio afficiuntur, donec probetur contrarium. Nos vero non de promiscua bonitate sive vulgari, sed de insigniore aliqua & conspicua commentaturi sumus, quæ in præfens oculos & ora hominum occupet. Virum authoritatis alicujus, compositæ vitæ, morum Censorem, disertæ linguæ multi laboris, pietatis etiam fervidæ, & quem
At-

Atlantem nostræ sphaerulæ dixeris, hunc talem aliquem ad Lydium nostrum Lapidem affricemus. Habet autem is Lapis sex facies, latiores duas, arctiores quatuor, quibus characteres suos adscribemus, ad singulos Virum nostrum Bonum exploraturi.

I. MEUM.

Primæ faciei nota est Meum. Videamus qui legem exacte novit, fert, ejusque custos, imo lex ipsa viva est, an sibi etiam datam agnoscat, & sancte observet, non gratiam ejus, ubi, quomodo, & quoties libet, sponte sumat, verecundius primo, deinde audentius, tandem sive fortunarum, sive obsequii hominum progressu impotentissime juxta & impudentissime occupet. Quem cum intueor, duo equidem mirari non possum, Unum, qua fronte Deum (si quem credit) adoret, cujus præcepta, minasque nihil ad se pertinere putat; alterum, quæ vis Magnates, quibus nihil in terra negatum est, cohibeat, ne in efferatioribus beluas, (quales per intervalla orbis tulit) frequentius degenerent. Nam cum illum nulla conscientia, hos metus nullus in officio

con-

contineat, judicia vero Dei lente progredi-
antur, plurimum interea damni Reipublicæ
dari, & impostoriam publicam exerceri, per-
spicuum est: Rigidus interim est Vir Bonus
meus cunctis, sibi propitius, excommuni-
cans alios, se absolvens, temperantiæ Legis-
lator ebrius, pudoris custos adulter, sacro-
rum Flamen blasphemus, rationum exactor
prædo, & patriæ salutis curator, proditor ac
perditor. Hunc depinxisse mihi Christus
ipse videtur Luc. 6. dum oculatum festu-
ræ alieni oculi, trabem tamen sui non ani-
madvertentem censorem, increpat, haut du-
bio duriore aliquando sententia ob scanda-
lum & ingentem rei Christianæ perniciem
datam condemnandum. Nempe tales, quod
ab aliis exigunt, bonum fatentur, dum ve-
ro se subducunt, malos se esse produnt, ut
juratis etiam bonos esse neququam credide-
rim. Qui paulo verecundiores sunt, nihil-
que sibi plus quam aliis licere foris ostendunt,
altioris indaginis sunt, quos ad alteram lapi-
dis faciem latam affricemus, cujus Mei tes-
sera est.

II. M E I.

EN Virum Bonum, conspicuæ probitatis, qui virtutis opinione, & rectis in rempublicam officiis ex re tenui & magnis angustiis emerfit, magnis jam rebus adhibitus, rei lautæ, & amplæ familiæ, ac cum Optimatibus etiam contendens, quid non suis tribuendum, concedendum, condonandumque opinatur? Liberorum insolentia, famulorum licentia, propinquorum delicta, clientumve nundinationes, omnia sub hujus Viri Boni integumento rata, & inculcata fiunt, fremente quidem vulgo, sed dum fortuna splendet, aut vires Viro suppetunt, meritorum opinione obtinente. Etsi enim quæ mala esse, ac vitiosa agnoscit, palam laudare & excusare non audet, suam tamen aut Majorum injuriam interpretatur, si quisquam suorum coerceatur, quod unum vel sane potissimum proverbio locum fecisse arbitror, Heroum filii noxæ, indulgentia sive privata, sive publica generosiore indole in flagitia degenerante. Quis verò mihi persuadeat, hunc vere Bonum esse, qui malum in suis vel non animadvertit, vel conspicuum

um

um non revera odit, & correctum in exemplum aliis, toto animo contendit. Ita ne fortis suæ, & natalium oblitus est, ut puppas suas cum Magnatum invidia exornet; Ita inexhaustus, ut æs suum tot studiis & itineribus corrasum in aleam, ganeas, equos, lacinias, prodigi finat; ita injurius, ut ineptissimos quosque sed suos evehat, & Reip. obtrudat, ita impudens, ut vitia suorum imo & scelera, suis aut gentis suæ meritis ac famæ condonanda putet; ita profanus, ut Deum etiam sibi in omne libidinis genus suorum obnoxium credat? Iterum testor, me non pro Viro Bono agnoscere, quicquid se pingat, quicquid etiam phalerarum ad populum projiciat, quo enim jure in alios inquirimus, hoc idem ferre & nostros decet, exactiore semper examine, & duriore disciplina, quo nos in regulam aliis datos intelligimus.

HI, SPES.

III. SPES.

Succedit aliud Viri Boni genus, cui Spes character est, indole revera bonum, studio integrum, moribus modestis, desideriisque rectissimis, quod ubi rebus adhibetur, cum supra se omnia videt, ad ea paulatim affurgit, implicaturque ita fulcimentis suis, ut quos Patronos, sive elegit sibi, sive forte accepit, ad eorum arbitrium assuefiat, & tolerare primum, postea non improbare, denique laudare, quæ rectæ regulæ adversa sunt, & delectari iis incipiat, semper spei bonæ plenum, quicquid subinde ea frustratum, donec in Viri Boni desuetudinem abeat. Hic nempe talis cum videat rigidi recti observatores invisos fieri, & quoquo modo excludi, deprimi sane frequenter, interdum & opprimi, molliore obsequio ascendendum sibi putat, favillis quidem bonæ intentionis hinc inde scintillantibus, sed evanidis, & rerum iniquissimarum turbine dispersis, id quod in togatis mancipiis, & aulæ ministerio potissimum videre est, quid ad unius interdum alteriusve nutum, qui anima ipsis est, bonitate omni & conscientia exuuntur, gementes quidem imo corde, sed ne spem suam, & tot annorum labores atque impendia perant,

dant incurvati, donec ab omni rectitudine, secus quam animo propositum erat, desciscant. Miserabiles utique, ut quos intus conscientia angit, foris querulantium voces feriunt, una spes rerum, nescio quo casu, quo instrumento, quo Deo ex machina prodituro, commendandarum utcunque sustinet, sed quæ in agone mortis torvum tuetur, & ad metum neglecti officii, & dimissæ opportunitatis remittit. Hunc ergo talem ecquid pro Viro vere Bono habebimus, qui spei rerum suarum fatagendarum, honorum ambiendorum, famæque aucupandæ, Conscientiam suam submittit? Vix quisquam credat, quanti doloris sit ab eo in re ardua deserui, quem integrum & cordati animi putaveris, ac contractis humeris (jam vanitate oppletum) ac tertiatis verbis se subducere intelligas, bis noxium, ut qui nec auxilio in adversis sit, & suo dissensu optimam etiam causam prodat.

IV. METUS.

Geminum fratrem crediderim, qui metu à recti studio jam agniti, & expressi abigitur, quod quartum Viri Boni generis, cui METUS signum est, coratuit, & Lydio Lapidi affricum spurium apprehenditur. Bonum

num scilicet usque ad ignem exclusive. Et sapit, nam quis amet ex turbatoribus esse cum Elia, contentiosis cum Jeremia, seditiosis cum Amos, maledicis cum Michia, obstinatis cum Danielis sociis, exprobratoribus cum Johanne Baptista, furiosis cum Paulo, qui singularitatis suæ triste precium quisque tulerunt, nempe Malefici mundo, sed quos Deus Martyres suos vocat; ô raros hodie, ubi vix delicata martyria subeuntur! Atqui dudum Viri boni etiam apud Gentiles erat, morte sua Reipublicæ vitam vel dare, vel servare, & Prophetarum munus jussu Dei in certam perniciem abire, & Apostolis dictum, se ut oves in medium luporum immitti. Quid ergò, an nihil ejus hodie ad nos pertineat, sed Isabelis jussu genu Baali flectamus, aut ad sonum tubæ prosteramur, aut ad primum colaphum obmutescamus, flagrisve cæsi silentii fidem posthac demus. Intuta profecto hæc securitas est, & vœcordia ipsis etiam Tyrannis contemptui habita, & quæ vertentibus rebus exitio mollibus, & frigidis esse solet. Nam cum corporum objectu servare salutem publicam poterant, ea everfa & ipsi obtinentur, fiuntque venenum & sanguinolentum

lu-

lutum, cum perpetua nominis infamia. Ita sæpè corrupta religio est, labefactata Patriæ jura, prodita libertas, perdita felicitas, profusa opulentia, pessundata pax publica ab iis, quibus pro una honesta morte devotata, mille supplicia debentur, nonnunquam etiam inferuntur. Sed quid de morte dico, cum multos fuga heri, haustus Vini jactura, inferius scabellum, duriusculum Verbum, invitatio infrequentior, munus illiberalius, negata petitio, & id genus alienioris animi stricturarum exaniment, & ad deserendam veritatem juxta & bonitatem sufficiant, tantum abest anathematis, proscriptionis, ostracismi, aut exilii nomen ferant, & de honoribus, fortunis, vel vita periclitari sustineant. Interim bonus hic talis est, dicitur & haberi vult, dum nemo vetat, nemo impedit, nemo terret, nemo in certamen deposcit, quem ego bonum nautam in terra, bonum militem in strato, bonum artificem in charta, bonum Christianum in somno facilius crediderim, certe ad lapidem fortitudinis affricum repudiaverim.

V. EXEMPLUM.

Video vero aliam bonitatis speciem, quæ non nisi vulgo & facti hominum imponit, & Exemplum indicem habet, Chamæleontis instar colorem ex proximo mutuans. Bonus vir, si cum bonis, sed malus idem cum malis, inò nunc optimus, sic & mox pessimus. Felix, si bene rigatur, sin secus, infelicissimus. Nihil hoc interdum ferventius, sed paulo post tepidissimus. Orare & blasphemari, misereri & cruorem fundere, largiri & clepere, pro temporum diversitate, nullo discrimine, unum eundem semper esse, pro miraculo habet. Animi motus Hospites sunt, nunquam Inquilini, nunc Idololatra, nunc Atheus, nunc Curius, nunc Bacchus, nunc Pompeianus, nunc Cæsareus. Nec fidus amicis, nec inimicis metuendus, semper sui potius, quam aliorum, oblitus; alienarum rerum curiosus indagator, suarum negligens; novæ veteribus, insolita consuetis, dubia certis semper anteponens, quasi ex prima materia factus, non elementis recte mixtis, ut quicquid volueris, in eo habeas, sed nihil solidi, & nullo cum seruetu. Imitatione servus


vus persuasionum receptaculum, curarum
 foetus, peregrinus sibi, simia aliorum, quic-
 quid potius quam ipse. His baculis arundi-
 neis inniti, ingentis periculi esse malo meo
 didici; quum frigore torpidi, ubi recalescunt,
 immane quam sibilent, quam sinuosis volu-
 minibus insurgant; sub cruce quondam ge-
 mientes, quam ad lucem ferociant, & vocife-
 rentur, in re tenui modesti, inter lautitias
 quam œstro perciti, thyrsoque percussi appa-
 reant. Indigni quos vel authores consulas,
 vel socios adhibeas, vel iudices audias, ædifi-
 care nihil doctos, servare parum felices, de-
 struere peritissimos. Unde ad primum lapi-
 dis affricum, ut plumbum reperi,
 ita abjeci.

VI. IMPERITIA.

Supereft non majoris pretii metallum, five Calx aut Scoria, cui Imperitiæ fymbolum eft. Fortunæ cæcus favor, ab omni re bona egentem extulit, rebusque agendis admovit, & BONUM videri, ac effe voluit, atque juffit. Hinc fcire oportet, quæ nescit, ftatuere, quæ non capit, ferre, quibus impar eft, omnium infeliciffimus, fi fuam ipfe pauperiem non intelligit; quid faciendum, omittendum fit, parum gnarus; potius impedimento aliis eft, quam quicquam rectè curatum eat; poft damnum de periculo admonetur, nec nifi neceffitate actus de rebus agendis respicit. Actufus interim, fed fine ordine, mefura & effectu, magnus inter parvos, inter magnos æftuans & miffitans. Bonus tamen creditur, ubi malus effe non poteft, & juvare creditur, cum minus nocet, Patriæque utilis habetur, dum generofiores actus cohibeat, cautusque Confiliarius audit, dum fublimioris aufus rationes & eventus non capiat. Favere tamen miferis videtur, fed non fine lucello, fama que hac tenui fultus, credit fe fapere, & numen beneficum effe,

se, quicquid etiam vitio citius, quam virtuti faveat, & suffragio potius impudenti, quam docto, & rationabili adjutum eat. Noxium animal, si imperet, ridiculum, si quid sit inveniendum, importunum inter socios, venale bonis perinde ac malis domesticis, peregrinum in omni humana scientia, omnibus denique erroribus Reipub. damno obnoxium. Apage mihi hanc Uliginis massam, non nisi forma, & voce homini similem, opera ignava, nunc fama claudicante, post memoria foetida. Hæc videre, tangere, & ipsis rebus agendis, servandis & emendandis adhiberi, non potest non dolorem excitare, plurimos quidem esse, qui Viri Boni faciem imponant, gerant, aliisque persuadeant: pauciores tamen 1. non sibi abblandiri, 2. suis non indulgere, 3. non efferri spe ampliorum; 4. minus calamitatum non deprimi, 5. non abripi Exemplo plurium, 6. non imperitia multum delirare: paucissimos tetragonos esse, quos horsum versum; sursum deorsum vertam, unam semper Veri Bonique frontem obvertant, plerisque ignotos, paucis probatos, multis invisos. At, ô vere Bonum, Optimum, Maximum Deum, qui his rerum

humanarum fictitiis machinis & argillaceis formis insuper habitis, ipse solus recte & ordine res Ecclesiæ suæ omnes regit, rotat, regeritque, lusibus nostris illudit, evirat vires, fumos fumigat, scilicet 1. nos pudefacit. 2. nostros excindit, 3. spem nostram dispellit, 4. declinata supplicia immittit, 5. servilem imitationem confundit, & 6. foedam imperitiam proficit. Quidni ergò lubeat verè Bonum, hoc est Christianum esse 1. sui rigidum Censorem, 2. suorum exactorem severum; 3. qui non nisi cœli precio ducatur, 4. fulmen verò ex pelvi minime metuat, 5. in Exemplum Christi unice intentus, 6. & Sp. Sancto in omne opus bonum docilis, sui muneris memor, conscientiæ tenax, & posteritatis reverens: cætera malorum & laborum patiens, Mundi totius contemtor, Deo in Uno Acquiescens.



❧) (201) (❧

MEDIUM

CHRISTIANA-
NI,

D. JOHANNI CON-
RADO SAX.

PRINCIP.

JUVENTUTIS GUELPH.

Informatore Sacrum.

Quicumque Christianum medium
inter Hypocritam & Pseudo-Po-
liticum dixit, rem acu tetigit. Ita
enim omnino habet, ab his duobus
tota vita exercetur, utrique confinis,
neutri similis. Ille Comoedus est,
cujus torvi vultus & gestus in risum
desinunt, hic Tragoedus, cujus ludi
fletu finiuntur. Christianus Specta-
tor, externum luctum internis per-
petuis gaudiis miscet. Hypocritæ re-

1 5 li-

illaceis
& or-
at, re-
t vires,
cit. 2.
spellit,
mimi-
periti-
erè Bo-
gidum
erum;
4. ful-
in Ex-
& Sp.
ui mu-
osteri-
orum
Deo
ME-

ligio impia est, & impietas religiosa, plusque Deo dat, quam vult, semperque negat id, quod petit; Politicus neminem Deum habet, sibi Deus ipse, Cœlum & Mundus. Christianus vero & Deum agnoscit, & credit, quem ad præscriptum colit, amat & timet, nunquam nisi sub Deo suus, nunquam contra Deum alterius. Hypocritæ pietas quæstuosa est, Politico lacrosa impietas, ille quo magis sepium simulat, certius imponit, hic quo licentius peccat, rem agit felicius. Christianus ut ut peccator, peccatum tamen horret, & cum à lapsu nunquam sit immunis, nunquam tamen sui securus, aut blandiens est. Hypocritæ spiritus carnalis est, ad commodum & damnum appensus. Politico caro mortua, quæ peccatorum progressu primum sine cura, postea absque metu, mox cum voluptate, tandem nescia & consuetudine delinquit.

Chri-

Christianus spiritu carnem subigit, spiritum carne suffulcit. Spiritus carnisque connubium æternitati apparat, & sacrat, temporis vicibus quantum in hac fragilitate impetrari potest, subducit. Hypocrita palam Deum adorat, clam negat, in Ecclesia frequens & conspicuus, mente abditus & alienus, in Servos Dei comis, sed tacitus detrectator, vitiorum foris detestator, sectator domi. Politicus palam Deum ridet, clam exhorret, in Ecclesia apparet per consuetudinem, recreationem, quietem, aut ludibrium, ministerii apertus osor, & calcator; Jactator scelerum juventutis, & masculæ nequitix atque adultæ præco. Christianus ad Dei oculum expositus, eundem corde credit, ore profitetur, cultu veneratur, obsequio prosequitur timore filiali respicit, patientia suscipit, spe prospicit, prosperis juxta & adversis suspicit, clementem pariter & ju-

stum omni vita & actione agnoscit. Hypocrita duplex est corde, lingua, fronte, manu, quæ mutuam sibi contradicunt: dum flet, ridet; si affirmet, negat; invitans excludit; quod dat, aufert; ac in ipsa misericordia crudelis est. Politicus cor in oculis, aut manu habet, nemini credit, quia nemini fidus & verax, ac vix sibi, qui tamen sibi unus Secretarius & Consiliarius, cui appetitus magister; ratio famulus, religio purgamentum, census regula fidei, cultus ludibrium est. Si expediat, religionem obtendit, quam in sinu ridet, Justitiam præterdit, cui imo corde adversatur; virtutem laudat, quam algere vult & facit; sin incommodo sit, sacra, jus & fas omne perfringit, mali lucri bonum odorem statuens, delicias sibi ex probitate hominum faciens, nec quenquam æque fatuum, ac timentem Dei & religione detentum, ani-


animo judicans. Christianus bifrons
 Janus est, præteriti dolens, præsentis
 cautus dispensator, futuri providus.
 Corde simplex, ore liber, fronte serene-
 nus, moribus facilis, conversatione
 candidus, conscientia tener, patien-
 tia rigidus, manu liberalis. Hypo-
 crita ore sereno, animum nubilum ha-
 bet, veste candida, corpus maculo-
 sum, balatu ovis, rictum lupi tegit,
 largus lachrymis vix nummum extor-
 queri sibi sinit. Si quid tamen dat, non
 sine tuba & testibus facit. Quantum
 aliis vitio vertit, tantum sibi laudis tri-
 buit; quantum detrahit aliis, sibi ad-
 dit, suæ vitæ perpetuus historicus.
 Politicus cuius vitio decus asserit, cui-
 vis virtuti labem aspergit. Alienas a-
 ctiones rimatur, exagitat, condemnat.
 Optima & rectissima quæque suspecta
 habet & facit, pessima semper augura-
 tur, & prædicit. Sine charitate cen-
 sor, sine officio actuosus. Lava ma-

nu cuncta accipit, deterioris divinator, sinistri interpres, alieni curiosus, sui tector. Nullæ asseverationes, pacta, juramenta, tabulæ, vel sigilla ejus diffidentia sufficiunt, scilicet quibus ipse non tenetur, mutuum potius ipse nulla necessitate sumit, ne dare mutuo sit necessum. Si prospere agat, sibi tribuit, sin secus cadat, farum accusat. Conscientiæ sibilos subaudit, puncturas dissimulat, stimulos strepitu obtundit, laniatus vino demergit. Christianus simpliciter sapit, indocte scit, secure cavet, absurde credit, iniqua dissimulat, licitis abstinet, humilitate assurgit, egens abundat, tristis lætatur, exul in patria est, peregrinus incola. Deum auctorem, testem, judicem, vindicem & munerarium unicum habet, & operitur. Recte facta Deo tribuit, secus facta sibi improbat, prodesse omnibus, obesse nemini sollicitus, a-
 lie-

lieni incurius, sui inquisitor, melioris sperans, deterioris tolerans. Hypocrita ex musca camelum facit, turbatque mundum ob lanam caprinam, & asini umbram. Hospitale ex usuris suis exstruit, ubi à se spoliatos recondat, in amplexus amici ruit, quem blande invitat, ut civilius abigat. Ad lectum decumbentis Matris plo-
rat, metu ne revaleat, scilicet semper aliud agendo, aliud agit. Mortis meditationem picturis, crucibus & pompis refert, quam extreme odit, proditorem & finitorem totius histrioniae, perpetuus somniator, augur, & aruspex sui mali est, & ab eventu regulam sumit. Politicus vita licentiosa infamis, & conversatione in omnes injurius, contristatur ad voluptatis durum finale, condemnationisque justum decretum Creatori suo exprobrat, ad mortis ergo nomen contremiscit, quam certam
scit,


scit, quicquid de gehenna adhuc dum dubitet, cujus tamen præludia sentit. Ecclesiæ dejectamento, Scholarum rejectamento, virtutis detrectamento, servilis obsequii oblectamento suo omnibus exosus, ad macellum Dei asservatur, temporis sui funesta nota futurus. Christianus sub Dei regula immotus, sibi semper similis, mortem perpetuam vitæ contubernalem habet, monitorem iudicii futuri, in prosperis frenum, in adversis lenimentum, actionum scopum, malorum finem, melioris vitæ conducem. Hypocrita optimus suarum traditionum, pessimus regulæ Divinæ observator est; sui omnium nocentissimus impostor. Politicus opinione sua semper felix, sapiens, prudens, eventu & fine miserimus, omnium stolidissimus est, ille fax extincta putens, hic vesica displosa evanescens, uterque DEO in-

invisus, hominibus molestus, suo
 damno, aliorum bono pereant.
 Christianus, quod medium tenuerit,
 beatus, vivit tranquillus, moritur
 sine strepitu, quiescit odoratus, resurre-
 cturus est gloriosus, cum
 Christo æternum trium-
 phaturus.



SYM-





SYMBOLUM

ANDREANUM.

In te Domine speravi, non confundar in æternum.

Psalmo xxxi. expressum.

AD Te confugio, ne me fiducia fallat,

Justus adesto Deus, pollicitique memor.

Aures inclina precibus, promptamque tuendi

Adfer opem, effugium præsidiumque meum.

Tu mihi perfugium, Tu munitissima rupes:

Erronem rege me, Nominis usque memor.

Retibus implicitum cautus me evolve dolosis;

Viribus unius namque recumbo Tuis. Ec-

Ecce Tuis Animam hanc manibus de-
pono, redemptum

Tu me fecisti, magne Jehova, fide.
Este procul scurræ, mendacia vana
colentes ;

Ipse sed à Domini pendeo totus ope.
In Bonitate Tua gratanti pectore lætor,
Dignata miseram respicere hanc A-
nimam. (hostis.

Nec pateris manibus sævi me illabier
Ex arcto statuis in loca plana pedes.

Ah! miserere Deus, vultum mihi mœ-
ror adedit,

Absumpsitque Animam, viscera &
ipsa dolor.

Vix vitam mœrore traho, infenuique
gemendo ;

Exhaustusq; aret ossibus ipse vigor.
Sordeo vicinis, tanta est compago
malorum ;

Occursum fugiunt, intuitumque
meum.

Effluxi ex animo cunctis, ceu funere
mersus ;

Con-

Confracta testa vilior inde datus.
 Proscindor procerum probris, jam
 nausea cunctis;

Consultant capiti dira suprema
 meo.

Sed Tibi fido rament, Domine ô; sic
 nempe statutum

Est mecum, quod Tu sis Deus, une,
 meus.

Te penes est vitæ spatium, Tu dividis

Tempora cuncta mei, præripe ab
 hoste truci.

Erue me manibus, quæ me exagitare
 laborant:

Fac servo vultus irradiare Tuos.

Me solita Bonitate iuva, Tibi supplico
 pronus;

Nec, rogo, me pudeat, Jova Beni-
 gne, Tui.

Quin reprobos pudeat potius, quo-
 rum obstruat ora,

Sive pudor mentis, mortis an ipse
 sopor! Ut

Ut fileant tandem, toties qui falsa lo-
cuti,

Aspera in Innocuum, & probra su-
perba vomunt.

Quanta Tua est Bonitas, seposita ti-
mentibus, & quos,

Abstrahit humano nullus in orbe
pavor.

Quos Tecum à fastu sceleratorum ab-
dis in umbris,

Tutosq; à flagris condis in æde Tuâ.

Gloria sit Domino, miranda potentia
cujus (Sacra.

Sic quasi securum præstat in Arce

Namque ego projectus, fateor, mihi
pæne videbar;

Tu tamen exaudis, dum Tibi cla-
mo, preces.

Pergite amare Deum; fidos custodit
Iova: (nas.

Ille superborum fundit abunde mi-

Pergite fidentes constanti pectore Jo-
væ;

Fidentes nescit deseruisse sibi.

IN

IN THEOPHILUM.

Simplos esse suos Christus docet
Ipse Magister:

Non tamen in Fidei re decet esse
rudes.

Sic nec libertas faciat Christiana solu-
tos;

Imo suis strictos Legibus ire jubet.
Sic nec pædonomos indoctos esse de-
corum est,

Queis merito dicas: Disce, docen-
dus adhuc.

Omnia quam fuerint melius forman-
da, docebit

Singula Theiophilus; qui sapis, ista
lege.

Imo tum felix fuerit Respublica nostra,
Si quando morbis his medicare pa-
ret.

B. ominis e.
adposuit

M. LEVINUS SUTOR,
Pastor Kornwestensis.

I. Gens

I.

Gens matura neci quoties delenda fidelis
Præmonuit Dominus, parcere pro-
nus, eam.

Nam Noah Diluvium, Sodomis sua fulmina
Lothus

Prædixit; Judæ vincula Jeremias.

Filius ipse Dei Solymis sua tristia fata

Flens cecinit (stupidis mens nisi læva foret)

Teutonicus Vates, Megalander & ipse Lu-
therus,

Omnia num nobis funera præcinuit?

Quam vereor, venerande Pater (sim vanus
aruspex!)

Vates ne sextus veridicusque si es!

Discite Christicolæ, ne vos voret ira Tonan-
tis,

Jussa Dei haud tantum Dicere sed Facere.

II.

Dicere non tantum, sed Nolle & Vivere
Christum

Cum doceas, vere sis mihi Theiophilus!

M. JOH. SCHUBELIUS
Eccles. Studtg. Dia-
conus.

Hic

Hic mea religio, praxis, conatus & artes
Conspicienda brevi, Lector amice,
Libro.

Sic didici, docui, expertus, monuique, pri-
usquam

Fas fuit hunc charum cernere Theophi-
lum,

Qui tamen ante mea natus vel flamina vitæ,
Sive pares annos Frater amandus habet.


Gaudeo mente parem Fratrem superasse
Suada,

Possit ut è rebus dicere digna meis.

Ergo Gemelle meis meliores jünge vigores
Exornare pia religione Patrem.

Confessor testare Fidem, liberrime mentem,
Norma sed exemplo, Candide Frater,
ero.

f.
M. THEOPHILUS ANDREAE
Diaconus Eccles. Can-
stadiensis.



I 4. 87.

ULB Halle

3


004 077 008




56,

7 7

Z





JOHAN. VALENT. ANDREÆ
S. S. Th. D.
THEOPHILUS,
Sive
CONSILIUM
De *CHRISTIANA RELIGIONE* sanctius
colenda, p. 1.
= *VITA* temperantius instituenda, p. 41.
& *LITERATURA* rationabilius docenda,
p. 80.
Cum *PARÆNESI* ad Ecclesiæ Ministros,
p. 127.
= *PLANCTU JEREMIÆ* renova-
to, p. 166.
= *VIRO BONO* ad Lydium lapidem
examinato, p. 186.
& *MEDIO CHRISTIANI*, p. 201.
Opusculum nostro tempori valde
accommodatum,
*Accesit nova præfatio, institutum
uberius exponens.*

L I P S I Æ
apud THEOPHILUM GEORGI,
M DCC VI.

